



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770


VD18 90118529

Liber CXLIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)



HISTORIÆ
 ECCLESIASTICÆ
 LIBER CXLIII.



PAULUS III. ROM. PONT.
 CAROLUS V. IMP. OCC.

§. I.

Belli æquitas per Cæsaris Literas Sæcul. XVI.
vindicata. A.C. 1546.

Quamprimum hæc armorum socie- Thuan. hist.
 tas, Papam inter & Cæsarem ini- ibid.
 ta, cui etiam Romanorum Rex
 accessit, fuit promulgata, mox Germa-
 niæ Hist. Eccles. Tom. XXXIX. A

733
 bid.
 735
 736
 739
 741
 742
 745
 746
 748
 752
 O.

Sæcul. XVI.
A C 1546.

niæ Protestantes in furias agebantur, imo & Catholici vehementer commovebantur, veriti, ne Carolus Cæsar, cum hostibus suis superior esset, nimium potentia cresceret. Enimvero nullo unquam tempore Germania hinc magis divisa, illinc avidius huic bello implicata conspiciebatur; utraque enim litigantium pars innumeris pene curis turbisque agitabatur, præcipue autem Viri prudentia magis clari redarguebant inconsultam Protestantium agendi rationem, eoquod nil nisi ferociam atque arrogantiam spirantes in Cæsarem, Sedemque Apostolicam atroces effudissent calumnias, quarum tamen veritatem ægre vel uno teste comprobare potuissent. Cæsar, quamvis bruta eorum fulmina vilipensionis scuto eludere valuisset, nihilominus, abs dubio, ut propriæ eorum saluti consulere, suarum partium esse arbitrabatur, quod diplomate palam edito suscepti belli æquitatem ipsis demonstraret, igitur præprimis hæc exposuit: Non propter Religionem hoc bellum suscipio, sed ad extrema hæc media me adigit illorum petulantia, qui meam spreverunt clementiam, nec minus compellit me quorundam rebellio, qui comitiorum decreta vilipendentes me inscio conventicula egerunt, exterosque Principes
contra

contra me concitarunt, atque ad opprimendam publicam quietem promiscue erga omnes promiscuam violentiam, ac tyrannidem exercent.

Sæc. XVI.
A.C. 1546.

§. II.

Protestantium responsio ad Cæsaris diploma.

Paulo post Protestantes pro parte sua pariter scriptum ediderunt, objectaque probra diluere conantes hæc proponebant: Haud obscure cognoscimus, Religionis causa hoc bellum suscipi, hancque ob rem Cæsarem inter & Papam fœdus fuisse initum. „Equidem ex publicis Caroli literis percipimus, quod ad castigandos quosdam rebelles, aliosque perfidos istis ad hærentes arma paret; scire tamen desideramus, quinam sint hi rebelles, ut & nos vires nostras Cæsareis jungere, nostramque opem ad eos plectendos adjicere possimus: si vero Cæsar hosce belli apparatus contra nos adornat, innocentiam nostram vindicare, atque ostendere parati sumus, quod nec in Cæsarem nec in Imperium quicquam deliquerimus. „His addebant: „Quamvis Imperator testetur, quod hoc bellum nullatenus „Reli-

*Sleid. l. 17.
p. 597, &
seq.*

A 2

„Reli-

Sæcul. XVI. „ Religionis caussa ad vim aliorum con-
A.C. 1546. „ scientiis inferendam instruat, Ferdi-
 „ nandus tamen, Granvellanus, & Na-
 „ vius, alique Ministri fassi sunt, quod
 „ Cæsar Concilii contemptum ulcisci
 „ statuerit, cujus rei testis est Pontifi-
 „ cis sententia contra Electorem Colo-
 „ niensem lata. Denique Cæsari non licet
 „ vim ullam facere Protestantibus, qui
 „ officii sui partes explent, ac Religio-
 „ nem suam totis viribus etiam cum
 „ dispendio vitæ tueri satagunt. „ Post
 hæc Protestantes ne solum intra ver-
 borum minas sistere viderentur, intra
 exiguum temporis spatium tam validas
 contraxerunt copias, ut ipso Cæsare
 armorum potentia superiores evaderent,
 sui que exercitus robore inflati, quem-
 dam Lutheri Sectatorem in Cæsarem
 eligendi, ac Religionem Catholicam
 penitus ex Imperio eliminandi consilium
 caperent (*).

§. III.

(*) Arrogans Protestantium consilium Sleidanus ipse l. c. his verbis exponere non erubescit, *confidimus*, inquit illi, *adfuturum esse Deum veritati contra mendacium, & in hac sua caussa, belli summum Imperatorem atque signiferum esse futurum adversus nefaria consilia Pontificis: ei videlicet rem omnem commendamus,*

§. III.

Sæcul. XVI.
A C. 1546.*Protestantium exercitus, ejusque
Belliduces.*

Enimvero præter trecenta Belli tormenta Protestantium exercitus octoginta peditum & plusquam decem equitum millia recensebat, ac insuper superioris Germaniæ urbes unacum Wirtembergensi Duce, quascunque possent, suppetias Saxonæ Electori & Landgravio offerebant, magnumque militum numerum conduxerunt, ex quibus duo conflarunt agmina, quorum primo circiter viginti quatuor legionibus valido Ulricus Princeps præerat, alterum vero urbium sumptibus alebatur. Hæ copiæ, cum sese validiori Protestantium exercitui jungere juberentur, die vigesima prima Junii Ulmam contenderunt. Equidem Saxonæ Elector inflatus gloria, qua se tam numerosæ factionis indies auctæ caput esse jactitabat, ingentes victorias sibi pollicebatur: ast præprimis necesse erat, ut præpediret, ne Pontificis copiæ, & sex Hispanorum millia ex Neapoli ac

A 3

Me-

damus, Et ut sanguinariorum consilia retundat, ac nominis sui Majestatem, magis atque magis illustrem faciat, precamur.

Sæcul. XVI. A.C. 1546 Mediolano adducta sese Cæsareo exercitui jungerent; id quidem efficere summa Protestantium cura erat, irrito tamen conatu; quippe non modo Veneti, & Tirolenses, sed etiam Grifones, quibus confœderati hac super re scripserant, eorum preces flocci habebant, quocirca hæ copię Cæsareis feliciter fuerunt conjunctæ, nec magis optatum fortitæ sunt successum Protestantium literæ, quas ad Helvetios perscripserunt.

§. IV.

Pontificis literæ ad Helvetios.

*Sleid. p. 945
Thuan. hist.
l. c.*

Interea summus Pontifex ad Helvetios, ut eorum animos ad acceptandam Synodum inclinaret, perbenigne hunc in modum perscripsit: *Cum vos summa complectar benevolentia, simulque firmam, qua vestri Majores Sedi Apostolicæ adhæserunt, conjunctionem considerem, merito deploro, vestrum quosdam per insidias diaboli, & perturbatores legum, avulsos esse ab Apostolica Religione, & a me, tanquam charissimos filios e sinu & complexu amantissimi parentis: veruntamen magnum est Dei beneficium, quod ex vobis multi permanserint constantes in fide erga Deum & Ecclesiam, quo videlicet alii, qui sermonibus improborum decepti sunt, exemplum habeant*

habeant positum ob oculos, & ad majorum ^{Sæcul. XVI.}
 suorum Religionem aliquando revertantur, A.C 1546
 nam divinæ bonitatis magnam hoc est argu-
 mentum, quod in isto dissidio Religionis,
 pacem inter vos colatis, cum aliis in locis
 per hanc occasionem gravissimi sint excitati
 motus, quos ut componerem, nullum non
 adhibui remedium statim ab initio mei Pon-
 tificatus, & magna semper usus sum lenita-
 te: nuper etiam ad extremum confugi, de-
 nunciato Concilio generali, cui locum atque
 Sedem elegi Tridenti, oppido Germanicæ,
 cujus intra fines hæc hæreticorum vitiosa se-
 ges maxime crevit, quod quidem ad oppi-
 dum tuto venire possent, & suas ibi par-
 tes tueri, si vellent: speraveram enim, in
 tam augusto conventu, cui semper Christia-
 ni Reges atque populi plurimum detulissent,
 & in cætu tot Episcoporum, qui Spiritu
 sancto ductore religionem tractarent, nemi-
 nem fore tam impium, qui non tantæ se sub-
 mitteret authoritati, qui non impiis conti-
 nuo dogmatis rejectis, Ecclesiæ catholicæ
 iudicium amplecteretur: hanc etiam nunc o-
 pinionem retineo de vobis, & propter con-
 cordiam domesticam spero, futurum, ut ex
 vobis, qui fideles atque constantes perman-
 serunt, obtemperent concilio, cæteri vero,
 qui non consulto, sed quadam credulitate
 in errorem adducti sunt, authoritatem Sy-
 nodi non aspernentur: quod ut faciant, &
 ad concilium veniant, tanquam ad cælestem

Sæcul. XVI aliquem Senatum, cui Deus ipse præest,
 A.C. 1546. horror plurimum, ut ante quoque feci: ma-
 gno autem dolori mihi fuit, quod in Ger-
 mania non pauci sint, etiam de numero eo-
 rum, qui Principes habentur, qui Conci-
 lium non modo superbe & insolenter contem-
 nunt, sed maledictis etiam & convitiis inse-
 ctantur, neque se decretis illius parituros es-
 se dicunt: ideo vero dolebam cum primis,
 quod ista perditorum hominum contumacia
 & obstinatione, necessitatem mihi videbam
 imponi, rem armis tentandi, nam neque
 tot animarum jacturam, quæ per hæreses
 quotidie perirent, neque Christiani nominis
 oppressionem hanc diutius perferre potui,
 quorum illud ad pastorale meum officium,
 hoc autem ad mei gradus atque loci dignita-
 tem pertinet: cumque de remedio sæpe co-
 gitarem, ac Deum precarer, ut viam osten-
 deret, peropportune accidit, ut Cæsar,
 maximæ pietatis Princeps, eisdem fere,
 quibus ego, sceleribus impiorum offensus,
 armis vindicandam sibi religionem judica-
 ret: cum enim ipsius intercessione & opera,
 Germanicæ datum esset a me Concilium, vi-
 sum ei fuit, quod qui illud recusarent, at-
 que contemnerent, ipsius quoque factum &
 auctoritatem despicerent: hanc igitur occa-
 sionem divinitus oblatam libenter arripui,
 & præclaram istam Cæsar's voluntatem ad-
 juvare constitui omnibus tam suis quam Ec-
 clesie Romanæ facultatibus: etenim si secus
 face-

facerem, si negligenter agerem & remisse, Sæcul. XVI.
 non dubium est, quin tot filiorum animas, A.C. 1546.
 hæreticorum perfidia corruptas, a me Deus,
 tanquam a parente requirat: hoc autem me-
 um Consilium atque mentem ideo volui pa-
 tesfacere vobis, ut & qua premar sollicitu-
 dine, videatis, & vestra vota mecum, hoc
 est cum Deo, & Religione jungatis: mul-
 ta quidem vestra existunt præclara facta,
 sed nullum est præclarior, quam hoc, si cum
 Deo veterem amicitiam, exemplo Majorum
 colatis, si Ecclesiæ Romanæ, quæ semper
 vobis benefecit, pristinam fidem, & amo-
 rem præstetis, si jam in hac tam pia causâ
 subministratis auxilia: quod ut faciatis, oro
 plurimum.

Cum interea hi tumultus ferverent,
 Palatinus Elector a Cæsare sciscitaba-
 tur, quænam esset causâ belli, & in
 quem denique tantus armorum appara-
 tus instrueretur, præterea eundem ro-
 gabat, ut pro concilianda pace suam
 operam impendere permetteretur. Ve-
 rum Carolus Imperator eidem per Gran-
 vellanum & Navium hæc nuntiari iussit.
 Non illi erit difficile, utrumque scire, &
 quænam sit causâ, & qui bello petantur:
 ut vero plenior hujus rei notitiam
 haberet, ambo hi Ministri cunctas ra-
 tiones jam antea a Cæsare allegatas rur-
 sus Electori exposuerunt. Palatinus
 Imperatoris responsum Saxoniam Electo-

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

ri, Landgravio, Ducique Wirtembergensi perscripsit, expositoque periculo, quod Germaniæ præsertim a milite extero immineret, eos hortabatur, ut pro obtinenda plena reconciliatione Cæsari sese submitterent, ac saltem in aliquibus articulis eidem morem gererent. *Etenim*; addebat Palatinus Princeps, *licet tristis & aspera sit rerum facies, existimo tamen, quod si erga Cæsarem vos submiseritis, & nonnullis in rebus morem ei gesseritis, fore, ut ad conciliationem ea res maximum adferat momentum: hæc autem sunt, quibus mitigari posse Cæsarem intelligatis: I. Si condonari vobis petatis offensionem: II. Si quid minus æque factum sit ab aliquo, corrigatis, postremo, si quid alieni possidetis, ut id Cæsari vel cuiquam alteri, prout videbitur, permittatis: in eo si quid ego potero amplius, fidem, operamque meam polliceor.*

Verum Saxo æque ac Landgravius tanta erant inflati arrogantia, ut adeo non salutaria Palatini consilia amplecterentur, ut potius undique copias conscribere pergerent, & deliberandi causa convenirent, necnon die decima quarta Julii datis literis Cæsari hæc significarent, *haud nos latet, te, Romani Antichristi ac impii Concilii Tridentini impulsu bellum hoc suscipere, ut & Evangelii doctrina, & Germaniæ libertas oppri-*

opprimatur, nec ullam aliam subesse belli Sæcul. XVI.
 causam perspicimus. Verum Imperator A.C. 1546.
 nullo eos responso dignabatur.

§. V.

*Epistola Cæsaris ad Coloniensem
 Archiepiscopum.*

Die septima Julii Carolus Cæsar Ar- Sleid l 17.
 chiepiscopo Coloniensi hanc in sen- p. 598. 599.
 tentiam perscripsit: *Salutis causa, ni-*
mimum ut quies publica & jus & æquum &
hujus nostri loci dignitas, Imperiique li-
bertas recuperentur, quæ quidem omnia se-
ditiosi quidam ex republica propemodum su-
stulerunt, & nisi coerceantur, tollent omni-
no, cogor arma sumere, ut illos ad offici-
um adducam: & quoniam in hoc esse totos
accipio, ut te simul & alios in societatem
suam pertrahant, mando, I. ut per
omnem tuam provinciam edicas, & des ope-
ram, ne quis militet, nisi mihi meisque du-
cibus, qui mandatum habebunt, ejusque rei
fidem facient: II. ut eos, qui forte jam
in militiam profecti sunt, illico revoces,
& domi manere jubeas, & nostrum expe-
ctare jussim: in eos vero, qui non parebunt,
severe vindices, atque ita te geras, ut intelli-
gere possim, Germanicæ quietem tibi esse cha-
ram: ni facias, id magno tuo cum pericu-
lo & bonorum omnium dispendio futurum
scias.

Has

Sæcul. XVI.

A.C 1546.

Has literas Archiepiscopus cum summa animi dimissione recepit, easque per universum Electoratum suum divulgari, earumque executionem fieri præcepit. Postea in omnibus Ecclesiis publicas preces decrevit, ut Deus periculum Imperio imminens avertere, pacemque inter Principes restituere velit.

§. VI.

Protestantium literæ ad Brandenburgi Marchionem, ejusque conjugem.

Sleid. p.603. Sub idem ferme tempus Protestantes ad Franciæ & Angliæ Reges suos ablegarunt Oratores, qui utrumque ad ferendas belli suppetias sollicitarent. Verum ex accepto utriusque responso facile perspexerant, quod in petito auxilio nulla eis spes esset reposita: Die autem decima quinta Julii datis ad Brandenburgicum Marchionem literis hæc eidem exponebant. Cum te Protestantium fœderi adscriptum esse constet, monemus te, ne feras arma contra nos, nam alioqui rem omnem evulgabimus, & ubique, quod promissi fidem ignavus violaveris, demonstrabimus. Ast ad hæc ille respondit: *Cæsari milito, nec id diffiteor, quandoquidem is mihi cavit, non peti Religionem, sum quidem fœderis*
Smal-

Smalcaldici, verum Augustanæ tantum confessionis ratione: quod ad privatum fœdus attinet, in eo Cæsar excipitur claris verbis: id cum ita sit, non est, cur hanc meam militiam ægre feratis, aut aliquid a me contra fidem datam factum esse dicatis.

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

Accepto hoc responso Protestantes scriptum ediderunt, in quo Brandeburgici Marchionis rationes confutare, ac ex propriis ejusdem literis demonstrari nitebantur, quod ipsis, eorumque sociis suppetias ferre adstringatur, si id necessitas suadet, præcipue vero, si quis ipsis bellum nuntiat, prout Cæsarem fecisse dicebant.

§. VII.

Diploma Pontificis contra Protestantes.

Cum interim Germania tantis agitur tumultibus, summus Pontifex Romæ die decima quinta Julii diploma edidit, pluribus in eo declarans suam sollicitudinem, qua ab Ecclesia deficientes ad salutem revocare, hancque in rem Synodum inchoare fategit, nec minus in illo hæreticorum cunctas leges vilipendentium pertinaciam deplorans, cunctos Christi fideles hortatus est, *ut jejniis atque precibus Deum soli-*

*Sleid. p 604.
Thuan hist.
lib. 2. n. 7.*

Sæc. XVI
A.C. 1546.

solicitent, delicta sua confiteantur, & sacerdotem sibi quisque deligat, quem velit, deinde cœnam Domini percipiant, quo videlicet Deus exoratus bene vertat hoc bellum, quod Cæsar & ipse necessario suscipere ad extirpandas hæreses & restituendam Ecclesiæ pacem. Nec minus fervens Religionis studium præseferbat Imperator, dum publicis literis more consueto promulgatis Joannem Fridericum Saxoniae Electorem, & Philippum Hassiæ Landgravium tanquam perfidos ac rebelles proscripsit, eosque quietis publicæ turbatores, ac juratæ fidei transgressores, & contra sacras Imperii leges seditiosos, raptoresque, ac bonorum Ecclesiæ, pluriumque Provinciarum usurpatores declaravit, qui, inquiebat Cæsar: Ut ea omnia tanto securius ac licentius facerent, specioso nomine Religionis, pacis, atque libertatis publicæ tanquam fraudum palliis utuntur, cum nil minus quam Religionis conciliationem aut publicam Germanicæ pacem atque libertatem expetant, sed potius adversum me fœdera pacti sunt, atque exteros Reges in odium mei concitarunt, eosque, ut mihi tanquam Cæsari debitum obsequium denegent, omni fraudum genere compulerunt, aperte declarantes, quod diadema, omnemque mihi potestatem adimere, sibi bique usurpare, & conturbatis omnibus, Religionem, jus, pacem, atque libertatem oppri-

opprimere, omnesque in suam tyrannidem cogere velint. Inde autem patescit, ad quantam extrema jamjam pervenerit eorum perfidia, nequitia, atque iniqua in Ecclesiam, atque Imperium rebellio.

Sæcul. XVI.
A C. 1546.

Promulgata fuit hæc sententia die vigesima Julii: verum ambo hi Principes illius executionem bellica expeditione præverterunt.

§. VIII.

Landgravii copiarum in aciem educitarum.

Equidem Imperator totus in eo erat, ut copiis suis clam undique conductis Smalcaldicos foederatos prius adiret, quam illi armis essent instructi, verum hi jamjam ad pugnam erant parati, atque Landgravius die decima sexta Julii copias suas in aciem eduxerat, prius tamen Guilielmum filium suum sexdecim annorum juvenem Argentinam, urbem præ ceteris valde munitam, securitatis gratia transmiserat. Porro primi omnium Superioris Germaniæ milites haud procul ab urbe Augustana hostilem impetum in Papæ copias parum remotas tentare aggrediebantur: Carolus vero haud segnius & ipse Ratisbonam valido munivit præsidio, necnon ineunte Mense Augusto inde discedens Stationem quamdam

Mnoa-

Sleid. p. 604.
Et 605.
Belc. comm.
l. 24. n. 22.

Sæcul. XVI. A.C. 1546. Monachium inter & Ratisbonam loci opportunitate valde commodam occupavit, ibidemque ad Isaram flumen castra inter hostilem exercitum & Landshutanam civitatem metatus ibi Papæ copias præstolatus est, quæ elusa etiam Protestantium solertia, die septima Augusti cum decem peditum millibus, ac mille quingentis equitibus feliciter sese Cæsareis junxerunt. Paulo post accesserunt quoque Hispani ex Hungaria evocati, adeo ut Cæsaris exercitus quadraginta quinque bellatorum millia, omnes selectioris militiæ Viros recenseret, atque in aciem procedere, foederatisque resistere posset.

§. IX.

Dilinga & Donaverta a Protestantibus capta.

Sleid. p. 605. *Belcar. n. 22.* *& seq.* *Thuan. l. 2.* *Antonius de Vera hist. de Charl. V. p. 243.* Protestantes sub primis belli auspiciis quasdam urbes, quas in itinere offenderant, occuparunt, ac præprimis die vigesima tertia Julii Dillingam Episcopi Augustani urbem ceperunt, postea vero Donavertanæ urbis cives ad deditionem sollicitantes nonnisi post tentatam irruptionem illam in suam potestatem redegerunt: Porro Saxo necnon Hassiæ Landgravius toti exercitui præerant, ac prælii curam partiebantur

tur cum Joanne Ernesto Saxoniae Ele-
 ctoris fratre, Joanne Friderico ejusdem
 Electoris filio, Philippo Brunvicensi
 Duce, ejusque quatuor Filiis, Franci-
 sco Luneburgico, Wolfgango Anhalti-
 no, Christophoro de Henneberg, Gui-
 lielmo de Wirtemberga, Christophoro
 Oldenburgico, Huberto Bichlingo ac
 pluribus aliis. Porro Antonius de Ve-
 ra, qui Caroli Cæsaris vitam descripsit,
 superbas recenset inscriptiones, quas
 Protestantes suis vexillis affixerunt, ac
 præprimis in Landgravii vexillo hæc
 verba legebantur: *Jam securis ad radi-*
cem posita est, omnis ergo arbor, quæ non
facit fructum bonum, excidetur, & in ig-
nem mittetur. Saxoniae Dux suis signis
 hanc inscriptionem non nihil speciete-
 nus magis modestam, licet illa nequa-
 quam veritati consona esset, apponi jus-
 sit: *Salva nomen tuum Domine.* Rex au-
 tem Daniæ, qui & ipse huic factioni
 accessit, vexillum habebat, cui
 hæc verba erant inscripta: *Tui libera-*
tores venient tibi ab Aquilone. Hæc ta-
 men inscriptio ipsis etiam foederatis ni-
 mium insolens videbatur. Interea hi
 rebelles, qui Cæsaris iter explorabant,
 ad sextam ferme Leucam ad illius ca-
 stra procedebant, missoque ad eum E-
 phebo ac tibicine eidem bellum nuntia-
 bant, epistola quadam hastæ cuspidi af-
 fixa,

Sæcul XVI.

A.C. 1546

Matth. 3.

v. 10.

Hist. Eccles. Tom. XXXIX. B

Sæcul. XVI. A.C. 1546. fixa, prout tum in Germania mos ferebat. Hanc accepit Albæ Dux, missisque hisce fecialibus responsi loco suspendii supplicium minitatus est, Cæsar tamen eisdem vitæ veniam fecit.

§. X.

Utriusque exercitus concursus ac velitationes.

Belcar. l. 24. *num. 23.* *Vera p. 246.* *Es 257.* *Thuan. l. 2.* Postquam Papæ ac Hispanorum copiarum Cæsareis junctæ essent, Carolus Imperator Ratisbonam reversus est, Protestantes vero, cum eundem in Misniam & Saxoniam irrupturum timerent, duobus pontibus Danubio impositis hunc amnem trajecerunt: ast longius progressis fuit nuntiatum, quod Cæsar itinere Ingoldstadium versus arrepto ad Danubii litus prope Neostadium castra metatus sit, ac duobus pontibus celeriter constructis ex quibusdam cymbis ac virgultis hoc flumen cum exercitu suo trajecerit: Cum igitur hoc pacto Ingoldstadium propius accederet, hostes quoque, qui ob eorum numerum haud spernendi erant, Cæsareis tentoriis copias ad-moverunt; quapropter Carolus copias suas ad pugnam instruxit: verum Saxonix Elector prælii opportunitatem declinabat, tutius fore ratus, quod suis tormentis eminus Cæsareos lacefferet, quam

quam cominus pugnam confereret, qua-
 propter per integras novem horas e bel-
 li tormentis detonabat, atque in Cæsa-
 ris castra septingentos omnino quinquaginta grandiores globos explofit.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1546

Porro uterque exercitus, quin statione sua moverentur, aut ad prælii summam rem deducerent, crebris, iisque sat cruentis velitationibus aliquamdiu sese mutuo conficiebant, tandem vero Imperator nocte sequenti Protestantes e statione ipsis valde commoda deturbavit, eosque motis castris flumen trajicere compulit. Quid consilii in hac rerum vicissitudine caperent, ignorabatur, Cæsar tamen cum copiis, quas Burius Comes ex Flandria adduxerat, fugitivos tam strenue insequabatur, ut rursus utraque acies nonnisi amne invicem sejuncta in conspectu esset, ac Catholici æque ac Protestantes varia concursitatione stationes suas mutarent: hi quidem ut certamen declinarent, illi vero ut hostes suos ad pugnam provocarent; abs dubio enim Carolus Imperator, quamvis Protestantibus numero inferior esset, prælii discrimen tentasset, nisi ab Albæ Duce fuisset præpeditus, quapropter hostes suos levibus duntaxat præliis laceffere studuit, totumque tempus ejusmodi absumebatur velitationi-

B 2 bus,

Sæcul. XVI bus, in quarum tamen una Octavius
 A.C. 1546. Farnesius ingens vitæ discrimen subiit.

Porro pressius Cæsar Protestantibus institit, atque paululum cum suo exercitu progressus fœderatorum Equites propius accedentes animadvertit, quocirca agmen suum subsistere iussit, donec hostiles copiæ pertransiissent, mox tamen Albæ Dux suorum equitum quam plurimos emisit, qui hostem a tergo urgerent. Verum Fœderati confestim reversi invadentibus resistere parabant, simulque tormentum, quod columbrinam vocant, explodebant, longius progressis, ut pedem referrent, signum daturi. Tum utrinque ad prælii necessitatem deventum erat, atque ex Cæsaris exercitu Joannis Brandenburgici Marchionis, ac Sulmonensis Principis copiæ cum Protestantibus sub Ernesto Brunsvicensi Duce ac Daniele Schemlofen Tribuno pertinax certamen dispendio utrinque, prout & decore vix non æquato inierunt, nunquam tamen Protestantes decretorii certaminis aleam experiri sunt ausi: cum ergo Imperator hostem ad pugnandi conditionem toties oblatam compellere desperaret, habito belli Senatu, num quædam obsidio tentanda esset, deliberavit, urbemque Ulmensem aggredi statuit, cum vero hæc expeditio nimium difficilis videretur,

Dona-

Donavertam nuper ab hoste occupatam invadere, consultius fore censuit, hujusque moliminis curam Octavio Farnesio demandavit. Hic præter quasdam Equitum legiones Italis Germanisque peditibus cinctus urbem obsidere cœpit, eamque paulo post occupavit, Protestantibus præfidiariis non nisi ignava manu sese tuentibus, ac per eam urbis partem, quæ a Cæsareis cincta non erat, fuga elabentibus. Itaque Imperator die undecima Septembris victor urbem ingressus est.

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

§. XI.

Dilinga, Lauinga aliæque urbes per Cæsarem recuperatæ.

Prospero hoc armorum successu animatus Imperator alias urbes Danubio adjacentes, præcipue vero Ulmam utpote futuris belli progressibus peropportunam occupare statuit, quapropter altera die, qua Donavertam advenerat, promotis Dilingam castris hanc urbem mox deditione cepit: cum autem foederati idem prorsus fatum Lauinganæ civitati impendere vererentur, cives ad constantiam missis fecialibus hortabantur, polliciti, se eis brevi præsto adfuturos: verum ejusmodi hostium solertia nequam Cæsarem præpedire poterat, quo-

*Sleid. l. 18.
p. 633.
Timan l. 2.
Belcar. l. 24.
n. 28.*

Sæcul. XVI. A. C. 1546
 minus hanc pariter urbem suæ subjec-
 ret potestati, eamque sexcentis Germa-
 nis muniret, & continuato victoriarum
 cursu Fiessam & Gundelsingam ad Bren-
 tium flumen sitam pactis conditionibus
 occuparet, postea vero Imperator traje-
 cto amne prope Sontheimium castra po-
 fuit, inde Ulmam mediâ duntaxat leu-
 ca distitam petiturus: Fœderati vero,
 qui Cæsarem prævenire, urbemque
 præsidario milite firmare decreverant,
 spe sua delusi, motis castris Giengam,
 oppidum ad idem flumen situm progres-
 si sunt, adeo, ut utrumque exercitum
 unicus nonnisi amnis divideret: cum
 igitur Cæsar hostilium tympanorum
 sonitum inaudiisset, cognito mox Fœ-
 deratorum proposito unacum Albæ Du-
 ce proximum quemdam collem con-
 scendit, hostilis exercitus numerum,
 necnon aciei ordinem exploraturus; ubi
 tamen ipse ejusque comites illa die sum-
 mo discrimini exponebantur, eoquod
 Saxonix Elector, qui primo agmini
 præerat, Cæsarem adesse edoctus, sum-
 ma celeritate copias suas huic colli ad-
 movit, simulque Hassix Landgravium
 admonere jussit, ut & ipse cum suis pro-
 pius insequeretur. Enimvero tum op-
 portuna hostem aggrediendi occasio of-
 ferebatur; cum enim neque vado flu-
 men transiri posset, neque Cæsar per
 pon-

pontem, qui non nisi unicus erat, abs-
 que maximo suorum dispendio evadere
 valuisset, nil propius videbatur, quam
 quod Protestantes nullo ferme negotio
 insignem reportassent victoriam. Ve-
 rum Elector sinistro prorsus consilio Land-
 gravii adventum præstolari constituit,
 interim vero Cæsareis sese recipiendi
 spatium indulsit.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1546.

Amiffa igitur opportuna hac dimi-
 candi occasione Protestantes Giengam
 munire cogebantur, Ulmamque ter mil-
 le quadringentis Helvetiis firmabant:
 rem autem edoctus Imperator hanc ur-
 bem obsidendi propositum mutavit, ac
 Sontheimii subsistens cis Brentium flu-
 men ex hostilis exercitus regione castra
 metatus est, unde frequens erat utrin-
 que velitatio, qua proximæ pugnæ pro-
 ludi credebatur, nec minus Sulmonen-
 sis Princeps, ut Protestantes ad præli-
 um provocaret, eorum munimenta a-
 dorsus primo obvias legiones prostravit,
 ubi ceteræ quidem accurrerunt, prom-
 pte autem sua castra defensionis sese rece-
 perunt: demum vero Cæsar, qui aii-
 quamdiu levioris hujus pugnæ specta-
 tor erat, receptui canere iussit: Altera
 autem die hostem noctis beneficio ag-
 gredi constituit, hujusque expeditionis
 curam Brandenburgico Marchioni, nec-
 non magno Ordinis Teutonici Magistro,

B 4

atque

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.
atque Aliprando Madrutio demandavit, qui cum suis Equitibus, peditumque legione prima noctis vigilia foederatos obruerent. Ast consilio per Protestantium exploratores detecto res successu caruit, solusque Lanoyus ac Barbanfoni-
us posteriorem castrorum partem, ubi minus munita erant, aggressi, plures trucidarunt, multosque secum captos abduxerunt.

§. XII.

*Farnesius Cardinalis a Papa re-
vocatus.*

Belcar l. 24.
num 24.
De Thou hist.
lib. 2.
Post hæc Cæsar, cum ejus exercitus non modo pabuli atque aënonæ inopia, sed etiam grassante lue plurimum depa-
sceretur, die trigesima prima Octobris ad pristina sua prope Lauingam castra reversus est, ibidemque Cardinalis Farnesius a Papa revocatus Cæsarem valere jussit, Romam rediturus: Cæsar vero per viginti duos dies in suis castris haud procul a Lauingana urbe substitit, ut suis fractas vires reficiendi spatium indulgeret. Ex horum otio Foederati Cæsarem hyberna petiturum sibi perfuadebant, nec sua eos fefellit opinio; quapropter suæ fortitudinis fiducia inflati ad urbes sibi foedere junctas perscripserunt, quod sibi admodum prosperos belli
suc-

successus promitterent, dummodo prom-
 ptis pecuniarum subsidiis adjuvarentur,
 quibus ad alendos suos milites, atque
 ad occasionem sponte oblatam feliciter
 captandam summopere indigerent.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1546.

§. XIII.

*Inaugurationis diploma in Saxonie
 Electoratum Mauritio a Cæsa-
 re datum.*

Interea Carolus Imperator, proscriptis
 Saxonie Electore ac Hassiæ Landgra-
 vio, Mauritio Joannis Friderici Patrueli,
 quamvis & ipse Lutheri secta infestus
 esset, inaugurationis diploma in
 Saxonie Electoratum concedere consti-
 tuit, arreptoque hoc consilio die prima
 Augusti Henricum de Rosa, qui Cæsari
 ab epistolis erat, ad Mauritium ab-
 legavit, eidemque deferendam tradi-
 dit quamdam declarationem Cæsaris
 chirographo munitam, quæ rationes
 complectebatur, quibus Imperator com-
 pulsus Joannem Fridericum ejus avun-
 culum Imperio proscriberet, Mauritium
 autem in Saxonie Electorem inaugura-
 ret: huic vero in mandatis dedit, ut
 conductis, quas posset, copiis, concessi
 Imperii possessionem acciperet: Porro ut
 Imperator eo efficacius cunctis obviaret
 obstaculis, Romanorum Regem eo in-
 duxit,

B 5

duxit,

Sæc. XVI.
A.C. 1546.

duxit, ut in hac expeditione Mauritio suppetias ferret: quinimo Augustum quoque Saxonix Ducem Mauriti frater sollicitabat, eumque ad sua studia pertrahere nitebatur, spe facta, illum in Electoratu successurum, si Mauritius ejus frater sine prole mascula decederet. Imperator cum Mauritium suæ voluntati plene cessurum, haud temere suspicaretur, eidem denuntiari jussit, quod eo renuente is, qui omnium primus Electoratum occuparet, eundem retinere permitteretur, illiusque possessor permaneret, ipse vero, si obtemperare recusaverit, pœnis in declaratione adversus ceteros rebelles latis obnoxius foret.

§. XIV.

Literæ ad Landgravium habito Ordinum conventu a Mauritio datæ, istiusque responsum.

*Thua l. 2.
Steid. l. 18.
p. 635. edit.
I 556.*

Mauritius itaque a Cæsare stimulus primo Chemnitii, ac postea die nona Octobris Fridbergæ ditionum suarum Ordines convocavit, cum illis hac super re deliberaturus: Toto igitur negotio mature discusso decretum est, quod datis ad Saxonix Electorem literis eundem de Cæsaris voluntate certiolem redderet, simulque significaret, quidnam

nam hac in re melius fore censeret. Sæcul. XVI.
A.C. 1546.
 Horum consiliis aquiescens Mauritius ad Electorem avunculum suum cuncta a Cæsare sibi injuncta perscripsit, hæc subjungens: *Cum mihi, meoque populo Cæsar de Religione caverit, ideo constitui, quo Cæsari satisfaciam, & meum quoque jus mihi integrum permaneat, hanc inire rationem, ne mea ditio atque Provincia in alienas manus deveniat. Hæc tamen palam profiteor, quod, si tempus olim erit, quo Cæsari Regique Ferdinando Elector fuerit reconciliatus, non recusem, quo minus mee ditionis Ordines, si tamen illi patiantur, inter me & Electorem de summa rei tractent, totumque nostrum dissidium illorum arbitramento relinquatur.* In eandem ferme sententiam Joanni Guilielmo Electoris filio perscripsit, eumque rogavit, ut hæc literas ad Patrem suum scriptas perferri curaret. Insuper a suis Ordinibus impetravit, ut & ipsi speciatim missis ad Electorem & Landgravium literis peculiariter hunc urgerent, ut socio suo consilium adeo salutare sequendi necessitatem exponeret. Verum Landgravius, cui cuncta hæc consilia permolestè acciderant, Ordinibus mentem suam his verbis aperuit, speciatim vero Mauritio perscripsit, eique ingrati animi probum objiciens hæc addidit: „Negotium, de quo agitur, Religionem spectat,

Sæcul. XVI., spectat, idque nec ignorare nec diffi-
A.C. 1546. „ mulare vales; omnibus enim perspe-
 „ ctum est, quod Cæsar in hoc bello eo
 „ unice intentus sit, ut Germaniam ip-
 „ sius etiam Imperii viribus subigat, ha-
 „ rumque dissensionum ope illam Pontifi-
 „ cis jugo, quod tam generose excussit,
 „ iterum subicere molitur. Hinc flocc-
 „ ci pendeas Cæsaris declarationem,
 „ & Pontificis anathemata; hæc enim
 „ sunt fulmina in ipsam Religionem,
 „ quam nos Protestantes tuemur, di-
 „ recte vibrata. „

§. XV.

Mauritii irruptio in Saxoniam.

Thou l. 2.
Belc. comm.
l. 24. n. 29.
Steid. l. 18.
p. 637.

Verum hisce Landgravii literis Mau-
 ritius adeo non ab arrepto propo-
 sito avertetur, ut etiam Cæsarei di-
 plomatis auctoritate suffultus totam Sa-
 xoniam armis sat prosperis emetiretur:
 insuper præter copias in suis ac Augusti
 Ducis fratris sui ditionibus conductas,
 Ferdinandus quoque Romanorum Rex
 urgente Carolo Cæsare eidem mille quin-
 gentos pedites ductore Aliprando Ma-
 drutio Cardinalis Tridentini fratre sub-
 misit, moxque Georgius Rensburgius
 Bellidux longa belli experientia clarissi-
 mus totidem pedites adduxit, unde hæ
 copię ceteris Mauritii agminibus junctæ
 septem

septem aut fere octo millium exercitum Sæcul. XVI.
 conficiebant, sat validum ad invaden- A.C 1546
 dam ditionem, in qua nullus ferme diu
 resistendo par erat, præcipue cum hu-
 jus exercitus numerus brevi quadam
 augetur cohorte Hungarorum, qui
 prius sub Sebastiano Vertmulcho levis
 armaturæ equitum, quos Hussaros vo-
 cant, Belliduce stipendia merebantur.
 Hi Væslandiam cædibus ac rapinis de-
 vastantes, tandem a potissima parte Bo-
 hemorum, qui cum illis dimicabant,
 derelicti sese Mauriti copiiis junxerunt,
 ut scelerum suorum impunitatem conse-
 querentur. Mauritius itaque his suppe-
 tiis fretus armorum suorum terrorem
 per totam Provinciam longe lateque ef-
 fundebat, ac nequidem evolutis quin-
 decim diebus Zwiccaviam, Scheneber-
 gum, Aldeburgum, & pleraque omnia
 Electoris oppida deditioe cepit, excep-
 ptis Wittembergensi, Ifenacensi, ac
 Gothana urbibus utpote munitioribus.
 Insuper tria peditum millia, ac trecentos
 equites trucidavit. Hujus victoriæ nunti-
 us per Sybillam ejus conjugem ac Clivi-
 ensis Ducis filiam ad Electorem necnon ad
 Cæsarem delatus, hunc ingenti lætitia,
 illum vero extremo mærore affecit,
 Mauritius tamen hac ipsa expeditione,
 tam grave plurium odium in se conci-
 tavit, ut in illius invidiam famosi spar-
 geren-

Sæcul. XVI. gerentur libelli, quos ipse quidem re-
 A.C. 1546. fellere nitebatur, irrito tamen molimi-
 ne, eoquod hoc bello nullam Religio-
 nem peti constanter assereret, cum ta-
 men Cæsarem longe alio ductum fuisse
 consilio, eventus doceret.

§. XVI.

*Protestantium consilia de pace cum
Cæsare ineunda.*

Thou hist. l. 2. *Belcar. l. 6.* **H**ujus Principis causa, quæ hucus-
 que parum fuit promota, hac ex-
 peditione tantopere erigebatur, ut uni-
 versam Germaniam subjugandi spem
 conciperet, suosque inimicos insequen-
 di proposito firmiter infisteret: Fœdera-
 ti vero cum Saxoniam fœde vastatam esse
 eis nuntiaretur, ingenti terrore per-
 celledantur, eo potissimum nomine,
 quod Electorem ad suam patriam mox
 reversurum intelligerent, quamvis Land-
 gravius eidem suaderet, ne exercitus
 vires disjungeret: hanc ob rem die vi-
 gesima septima Octobris Fœderati Ulmæ
 unacum urbium Deputatis illuc adven-
 tantibus conventum habuerunt, in quo
 sancitum, nullatenus expedire, ut Ele-
 ctor a suo exercitu discederet. Verum
 mutata fuit brevi hæc sententia, acce-
 pto fatali nuntio, quo tota Saxonia ad de-
 plorandum statum redacta & a Mauritio
 cædi-

cædibus atque incendiis devastata signi-
 ficabatur: soluto igitur conventu ur-
 bium Deputati prope Giengam ad Fœ-
 deratorum castra recesserunt, ubi hujus
 belli prosequendi difficultas, necnon in-
 comoda inde exorta fusius exponeban-
 tur, tandemque post longam delibera-
 tionem decernebatur, aut pacem cum
 Cæsare ineundam, aut saltem belli in-
 ducias pactis conditionibus ab eo im-
 petrandas. Arrepto hoc consilio mox
 Protestantes Adamum Trottam Mar-
 chionis Brandenburgici amicum ad Jo-
 annem ejus fratrem, qui Cæsaris ve-
 xilla sequebatur, ablegarunt, supplices,
 ut Cæsaris mentem exploraret, eisque
 significaret, an hic eis pacem concedendi
 propensum exhiberet animum. Verum
 Carolus Imperator hostium suorum con-
 silia, necnon funestum statum, ad quem
 Protestantes annona ac pecuniis desti-
 tuti fuere redacti, edoctus, eisdem sig-
 nificari præcepit, se nunquam illis aut
 pacem, aut inducias concessurum, nisi
 prius Saxoniae Elector se suamque di-
 tionem Cæsaris arbitrio comisisset, verum
 adeo ardua videbatur hæc conditio,
 ut haud amplius ulla de pace mentio
 fieret: quapropter Protestantes compulsi
 consenserunt, ut Saxoniae Elector reli-
 quam exercitus partem secum abduce-
 ret, exceptis tamen octo peditum mil-
 libus;

Sæc. XVI.

A.C. 1546.

Sæcul. XVI libus, ac mille equitibus, qui a Wit-
A. C. 1546.tembergenſi Duce, necnon a Fœdera-
 tis ſuperioris Germaniæ urbibus aleren-
 tur, atque in hyberna ducerentur: am-
 bo itaque exercitus hoc pacto ſejunge-
 bantur.

§. XVII.

*Electoꝝ cum exercitu ſuo in Saxo-
 niam profectus.*

Thouhiſt. l. 2. Interea Imperatoris copiæ conti-
 nuato victoriarum curſu longius pro-
 ceſſerant, ac Boſphingam & Nordlin-
 gam ceperunt, Cæſar vero, cum poſte-
 riorem hanc urbem mille Germanis fir-
 maſſet, illiusque Gubernatorem conſti-
 tuiffet Cardinalem Auguſtanum, Din-
 kelpulam verſus contendit, ſimulque
 Burium Comitem Wiſſemburgum præ-
 miſit, ipſe autem utraque hac urbe in
 deditionem accepta, celeri proſus iti-
 nere Rottemburgum pervenit, cujus ci-
 ves percepto Cæſaris adventu obviam
 procedentes ſeſe eidem ſubjecerunt. Po-
 ſtea Haſſiæ Landgravius cum copiis
 ſuis itinere ad dextram deflexo proces-
 ſit, graviora autem belli tormenta
 Kirheimii ac Schorendorffii, quæ duo
 erant munitiora Wirtembergentiſ Ducatus oppida, reliquit, inde vero ad ſu-
 am patriam reverſus eſt, cum Mauritio
 Duce

Duce acturus: interea vero Saxoniae ^{Sæcul. XVI}
 Elector ad suam Provinciam conten- ^{A.C. 1546.}
 dens in itinere Gemundam, Sueviæ ur-
 bem occupavit, spoliatisque civibus
 pecunias inde ablatas inter suos milites
 distribuit, tandem vero ineunte Mense
 Decembri Francofordiam delatus ibi-
 dem usque ad duodecimam ejusdem
 mensis diem subsistens rursus eadem die
 ab incolis novem aureorum millia ex-
 tortsit, ipsumque Moguntinum Archie-
 piscopum, ut ei quadraginta aureorum
 millia daret, vi adegit, ingentesque
 pecuniarum summas Fuldenfi Abbati,
 aliisque Catholicis mulctæ nomine im-
 posuit: cum autem Landgravius, licet
 publicæ fidei literis munitus esset, Mau-
 ritium tuto accedere non posset, eo-
 quod hæ literæ conditionibus minime
 acceptandis restrictæ essent, hinc Her-
 manum Hundelsufam, & Henricum
 Lesnerum, qui cum illo conferrent,
 deputavit: at his Mauritius significari
 iussit, quod incio Cæsare cum illis age-
 re non posset, hinc deputati infecta re
 secedere compellebantur, præcipue,
 cum aliunde Saxoniae Elector expedito
 suorum agmine stipatus, bellum differ-
 re recusasset, atque in suam ditionem
 irrumperere constituisset.

§. XVIII.

C

Hist. Eccles. Tom. XXXIX.

Sæcul. XVI.

§. XVIII.

A.C. 1546.

*Cæsaris Epistola ad Wirtembergæ
Ducem, hujusque responsum.*

*Sleid. p. 643.
& seq.*

Cæsar, cum Rotenburgi hæreret, Burio Comiti injunxit, ut Francofordiam occupare omnibus viribus adlaboraret, ipse vero die decima tertia Decembris ad Ulricum Wirtembergæ Ducem epistolam dedit his verbis conceptam: *Etsi omnem tibi injuriam & pœnam condonaverim, ac benevolentiam omnem exhibuerim, his tamen omnibus neglectis, nec habita ratione fidei, qua mihi devinctus es, conjunxisti te proscriptis, eorumque sociis, & in idem, quod illi, crimen incidisti rebellionis, ac primum Ferdinandi fratris, & aliorum Ordinum, post etiam aliquot meditationis & Imperii oppida, ex improvise cum tuæ factionis hominibus occupasti, nec eo contentus, cum hæc perpetrasses, bellum mihi insuper denunciasti, singulari quadam audacia, meamque famam & existimationem gravissimis verbis læsisti, & hunc dignitatis gradum atque splendorem mihi detrahere conatus es, & fidem mihi renuntiasti, atque e vestigio cum tuis conjuratis exercitum ausus es educere, mihi que opponere, violatis quam plurimis, & Ferdinandi fratris, & meis beneficiariis, itaque in pœnam, quæ perfidiosis, ac proscriptis, & læsæ Majestatis*

statis condemnatis debetur, incidisti, quod Sæcul. XVI. A.C.1546.
 cum ita sit, Et licet causam habeam gra-
 vem, atque justam, ut in te pro tuo merito
 severissime vindicem, tamen pro mea clemen-
 tia, Et ut misera multitudo conservetur,
 edico, ut statim, his redditis literis, te tu-
 asque fortunas omnes, totamque Provinci-
 am Et quicquid omnino tuum est, sine condi-
 tione mihi dedas, ut pro meo arbitrato sta-
 tuam: nisi enim pareas, te simul Et tuos ig-
 ni ferroque persequar.

Eo tempore Imperator cum suo ex-
 ercitu, cui Albæ Dux imperabat, in
 Wirtembergensis Provinciæ finibus ca-
 stra metabatur, Ulricus vero Princeps
 in arce Tuela altissimo, ac prærupto
 monti imposita, quo confugerat, Cæ-
 faris literas recepit, atque ad eas vige-
 simo die Decembris perdemisse ita re-
 spondit: Quod in tantum Cæsareæ suæ
 Majestatis odium sim adductus, vehementissi-
 me doleo, cum autem pro me quidam inter-
 cesserint, ipsus quoque culpam mihi condo-
 nari flagito, bonamque spem habeo mitiga-
 tum iri offensionem: ea vero spes sese adhuc
 retinet, quod tuam habeat exploratam cle-
 mentiam, qua soles in supplices uti: nimi-
 rum ejus rei non unum extat documentum,
 Et quidem ante paucos annos editum in quos-
 dam ex ordine Principum, qui forte non
 paulo minorem, quam ego, causam offen-
 sionis tibi præbuerint, quod si meos etiam

Sæcul. XVI. A.C. 1546. *audisses legatos, non dubito, quin lenius multo scripsisses: itaque misericordiam tuam imploro, ac peto, ut propter Christum mihi condones, neque gravius quid in me, miserum sane Principem, meosque statuas.*

§. XIX.

Ulmenfes Cæsari reconciliati.

Thou hist. l. 2. Sleid. p. 645. Paulo post Ulmenfes, cum Foederatorum copias omnino dispersas, seque suppetiis avide speratis destitutos cernerent, Roteburgum ad Cæsarem venerunt, culpam suam deprecaturi: Verum Carolus in præfata urbe illos ad alloquium admittere recusavit, eisque significari iussit, ut Hallam, Sueviæ urbem, cujus incolæ non ita pridem pariter in Cæsaris gratiam rediere, accederent. Itaque eo delati scelus suum confessi veniam precabantur, quam etiam Imperator eisdem clementer indulget, ea tamen lege, ut centies mille aureos numerarent, ac Cæsareis duodecim belli tormenta traderent, quibus conditionibus adimpletis Carolus urbem præfidiario milite firmavit.

§. XX.

Venia Electori Palatino a Cæsare concessa.

Thou & Bel. ca. l. 24. n. 31. Hoc exemplo perterritus Elector Palati-

latinus & ipse Hallam pergere, ac sup-^{Sæc. XVI.}
 plex Cæsarem adire statuit, simulque ^{A.C. 1546.}
 Granvellanum rogavit, ut eidem Cæ-
 sarem alloquendi copiam procuraret,
 qua impetrata Carolum tum præsentem
 his verbis allocutus est: *Non tam poten-
 tiæ tuæ magnitudine territus, quam clemen-
 tiæ fiducia fretus genibus tuis supplex ad-
 volvor, ut quanto maxima mea est erga te
 offensus, tanto maximam erga me tuam ex-
 periar benevolentiam: Et quamquam culpa
 mea habeat justas Et legitimas excusationis
 causas, satius duco, crimen fateri, quam
 committere, ut de clementia tua dubitare vi-
 dear: cum enim cernam te etiam erga nocen-
 tissimos singulari indulgentia uti, malo ut jus
 meum mihi pereat, quam de clementiæ tuæ
 laude quidquam detrahatur: tu me ergo per-
 duellem, tu fatentem, tu supplicem reum
 imprudentia lapsam in gratiam suscipe, Et
 a me vicissim debiti Et constantis obsequii fi-
 dem ullis fortunæ ictibus inconcussam accipe.*
 Ad hæc quidem Cæsar primo acerbio-
 ribus verbis respondit, tandem vero
 placatus eundem amplexu perbenevole
 honorabat, eumque surgere jussum pri-
 stinæ dignitati, omnibusque bonis re-
 stituit.

Hanc Cæsaris clementiam ægre fe-
 rebat Guilielmus Bavarix Dux: hic
 enim in præstiti obsequii præmium se
 dignitate Electorali augendum sperabat.

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.
Verum Imperator ad publicam utilitatem, privatumque commodum suum magis expedire censebat, si Comitem Palatinum, Principem potentia conspicuum, atque antehac de Imperio optime meritum in gratiam reciperet, præcipue, cum Cæsari persuasum esset, quod Palatinus hac via ab hostium fœdere abstractus eo promptior Cæsaris partes secuturus sit, urbesque hucusque rebelles aut hujus Principis exemplo permotæ, aut ejus defectione perterritæ citius in obsequium officiumque reversuræ sint.

§. XXI.

Francofordia Cæsaris nomine præfidiarius per Burensem Comitem munita.

Thou hist. l. 2. versus finem.
Steid. p. 645.
& seq.
Post hæc Burensis Comes victricia sua arma in Hassiam quoque circumferbat, expugnataque Darmstatiensi urbe arcem incendi jussit, inde vero Francofordiam prætergressus, cum hyemis rigor instaret, ejusque milites male affecti essent, ibidem haud substitit, sed copiarum partem trajecto Rheno Moguntiaë stationem agere jussit, ubi etiam, cum nihil minus ipsi in mentem veniret, Francofordientes Deputati illum adierunt, sese Cæsaris obsequio man-

mancipaturi, ejusque jussa præstolatu-^{Sæcul. XVI}
 ri. Hi ad ejusmodi submissionis necessi-^{A. C. 1546.}
 tatem potissimum ideo devenerant, quod
 Carolum Cæsarem a Moguntinis & Wor-
 matiensibus fuisse sollicitatum scirent,
 ut nundinas, quarum proventu ipsi ad
 tantas opes, & potentiam excreverant,
 ab eis alio transferret. Itaque Burius
 Comes Francofordiam ingressus, Cæ-
 saris nomine cives ad præstandum fidei
 Sacramentum adegit, urbemque tribus
 peditum millibus, ac quadringentis
 equitibus munivit. Postea eis Au-
 ctor exstitit, ut Heilbrunnam, ubi
 Cæsar agebat, Deputatos suos ablega-
 rent, quos Carolus perbenigne excepit,
 indicta duntaxat octoginta aureorum
 millium multa.

§. XXII.

*Hæretici Meldis rogi supplicio
castigati.*

Rursus in Galliis legum severitate in ^{Bez. hist. Ec-}
 novæ Reformationis Sectatores ani- ^{cles. tom. 1.}
 madvertebatur, ac præcipue Meldis in ^{Sleid. l. 18.}
 Bria expeditio sat cruenta in hosce hæ- ^{p. 640.}
 reticos adornabatur; quamvis enim Gui- ^{Belcar. l. 24.}
 lielmus Briffonetus hujus urbis Episco- ^{num. 30.}
 pus ante obitum suum, qui anno Do-
 mini millesimo quingentesimo trigesimo
 tertio contigit, damnum suæ Diœcesi

Sæcul. XVI ex nimio Lutheranæ Sectæ studio illa-
A.C. 1546 tum reparare satégisset, nihilominus
 pessimum hujus hæresis fermentum
 semper remanserat, atque adeo auctum
 fuerat, ut hoc anno Christi millesimo
 quingentesimo quadragesimo sexto die
 octava Septembris in ædibus Stephani
 de Mangin ingens horum Sectariorum
 numerus deprehenderetur. Porro jam
 antea quadraginta aut quinquaginta
 Carminatores, Fulones ac Textores
 Ducem sibi ibidem elegerant quemdam
 lanæ Carminatorem Joannem Le Clerc,
 qui protervis suis in Ecclesiam Catholi-
 cam declamationibus multos sibi Secta-
 tores conciliabat: cum autem ea res
 haud diu latere possset, eorum sexaginta
 comprehensi, Parisiis in carceres con-
 jecti sunt, instructisque judicii actis eo-
 rum quatuordecim lata in eos sententia
 die quarta Octobris morti fuere adjudi-
 cati, ac postea Meldas reducti ibidem
 vivi combusti sunt, alii vero pecuniaria
 pœna mulctati, virgisque cæsi Regno
 proscripti fuere. Peractum est suppli-
 cium die septima ejusdem mensis, etsi
 hujus criminis rei ad prodendos suos
 complices nec ipsa etiam tormentorum
 vi compelli potuerint.

§. XXIII.

§. XXIII.

Sæc. XVI.
A.C. 1546.*Spuriæ Reformationis Sectatores pariter in Scotia multati.*

Pariter ob mutatam Religionem novi tumultus in Scotia fuscitabantur; quippe Cardinalis de S. Andrea, necnon Araniæ Comes, postquam pace ipsi per Galliarum Regem procurata frui cœperant, unice in id intenti erant, ut veræ Religionis hostes infectarentur; unde intra currentis anni spatium propter hæresis crimen Perthæ, necnon in oppido S. Andreæ, atque in aliis urbibus plures extremo supplicio affecti perierunt, quos inter præcipuus erat Georgius Sphocardus seu Wischartus, qui, ut ferunt, nobili ex genere natus emenso Cantabrigiæ studiorum curriculo, ibidem novis erroribus inficiebatur, atque in patriam suam reversus præprijis Toaduni perversas suas opiniones spargere cœpit: verum Cardinalis Be-tonius re comperta mox Sphocardo, ne amplius ad populum diceret, inhibuit, ille autem relicta hac urbe Laudoniam ibidem errores suos diffeminaturus contendit; ast ibidem captus ad oppidum S. Andreæ abducitur, ubi Cardinalis convocato Episcoporum conventu reum comparere iussit, atque ex propria illius

Burnet hist. de la reform. liv 8. tom. x. p. 457.

Sæcul. XVI
A.C. 1546.

confessione de hæresi rite convictum Magistratui tradidit, a quo ad ignis supplicium damnatus est: Ergo palo affixus rogoque impositus subjecto igne combustus obiit. Ferunt nonnulli, quod de supplicii acerbitate conquestus laqueo fuerit suffocatus, priusquam flammæ ipsum attingere potuerint.

§. XXIV.

Cædes Betonii Cardinalis, alias S. Andreæ dicti.

*Burnet l. c.
Sleid l. 17.
p. 894.
Buchanan
hist. Scot. l.
15
Lesle l. 10.*

Perversi hujus hæretici obitus seditio-
nem in Davidem Betonium concitavit, quippe duodecim viri, qui hujus conspirationis Auctores erant, die vigesima Maji oppidum ingressi, altera die matutino tempore apertam Palatii portam obsederunt, atque strepitu vix excitato usque ad Ministrorum diversorium penetrantes, illos inde excedere jusserunt: itaque Palatio in eorum potestatem redacto ad Cardinalis adhuc dum in lecto decumbentis cubile accedunt, ille autem ob conjuratorum tumultum e somno excitatus portam firmo obijce clausam tenebat, cum vero ignem applicari jubentium clamores inaudit, cum illis pacisci cæpit, seque eorum arbitrio commisit, ea tamen conditione, ut ipsi vitæ gratiam concederent. Verum

rum conjurati violata promissi fide, si Sæcul. XVI.
 mulac Cardinalem suæ potestati reli- A.C. 1546
 ctum cernebant, tanquam rabidi canes
 in eum involant, horrendumque in mo-
 dum trucidant. Jamjam dispersus hu-
 jus violentiæ rumor civitatem concita-
 bat, Cardinalisque amici eidem opem
 ferre parabant, verum immanes hi si-
 carii occisi cadaver ad eandem fene-
 stram, in qua antea durante Sphocardi
 supplicio conspiciebatur, suspensum ac-
 currentibus exhibuerunt. Ceterum quo
 fato homicidæ perierint, varia est Scri-
 ptorum relatio.

Ceterum Betonius Cardinalis na-
 tione Scotus, ac nomine David ex Re-
 gio stemmate ortus dicitur, atque anno
 ætatis suæ decimo sexto ad Parisiensem
 Academiam missus tantos in literis pro-
 gressus fecit, ut in patriam suam rever-
 sus Albanæ Duci, qui apud Jacobum
 V. Regem plurimum gratia valebat, in
 paucis carus esset, atque ipsiusmet eti-
 am Regis benevolentiam sibi compara-
 ret; nam Rex Betonii dotibus captus
 eundem consiliorum suorum participem
 esse voluit, atque amplissimis publicis-
 que muneribus idoneum judicavit. Pla-
 cuit id mirum in modum Glasucensi Ar-
 chiepiscopo ejus Patruo, quapropter
 magni redditus Abbatiam, quam tum
 possederat, in Nepotem suum transtu-
 lit:

Sæc XVI.
A.C. 1546

lit : sed postea Betonius a Jacobo Scotiæ Rege in Gallias Legatus ad Franciscum I. decretus, ab eodem Mirapicensi in Occidania Episcopatu, a Jacobo autem paulo post Metropolitana Sede ad S. Andream decoratus fuit: tandem ad utriusque Regis preces a Paulo III. die vigesima Decembris anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo octavo Cardinalium Collegio adscriptus titulum S. Stephani obtinuit, & Legatus in Scotia se nascenti hæresi immoto fidei studio opposuit.

§. XXV.

Garziæ Loaysæ Cardinalis obitus.

*Ciacon. l. 3.
p. 517.
Ugel. addit.
ad Ciacon.
Anto. Senen.
in chron. sui
Ordin.*

Hoc item anno sacrum Purpuratorum Collegium alios duos amisit Cardinales, iique erant Garzias Loaysa & Grimanus, quorum prior natione Hispanus ex Petro Loaysa & Catharina de Mendoza Tolaveræ in Hispania novæ Castellæ oppido, duodecimo a Tolitana urbe lapide distito natus erat. Is juvenis adhuc Ordinem FF. Prædicatorum amplexus postmodum in comitiis Romæ celebratis Magister Generalis renuntiabatur, Carolo V. autem non modo a confessionibus, sed etiam consiliis fuit, quinimo Indiarum quoque Præses, Cruciatæ Commissarius ac Hæreticæ pravi-

pravitatis Inquisitor generalis in Hispania nominabatur, mox vero Episcopus Oxomensis ac Seguntinus, dein Archiepiscopus Hispalensis creatus Generatum suum deposuit. Tandem ad eundem Caroli Cæsaris preces inter Presbyteros Cardinales titulo S. Susannæ die undecima Martii anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo cooptatus Bononiæ in publico Patrum Senatu rubrum galerum die decima nona ejusdem mensis ab ipso summo Pontifice recepit. Obiit autem Madriti hoc anno die vigesima secunda Aprilis.

Sæc. XVI.
A C. 1546.

§. XXVI.

Grimani Cardinalis mors.

Alter erat Marinus Grimanus, Nepos *Ciacon. l. c.*
Dominici Grimani Cardinalis, qui *p. 485.*
anno Salutis nostræ millesimo quingen- *Joan. Cand.*
tesimo vigesimo tertio obiit: Marinus *in hist. Aquil.*
autem quatuor post annos die quinta *Aube. vie des*
Majiprimum a Leone X. Aquileientis Pa- *Cardinaux.*
triarcha, ac postea a Clemente VII. Papa Cardinalis Presbyter tit. S. Vitalis renuntiabatur: cum vero nonnisi anno post Christum natum millesimo quingentesimo vigesimo nono mense Januario Romam veniret, eapropter tunc primum inter Cardinales locum obtinuit, atque ab eodem Pontifice Legatus in Umbria

Sæcul. XVI. Umbria & Perusia nominatus, necnon
 A C. 1546. pro pace concilianda in Gallias missus
 est. Porro Cennetenses incolæ apud
 Venetam rempublicam contra Marinum
 querebantur, perinde acsi temporalis
 domini jus in hanc urbem sibi vendica-
 set, cum igitur respublica rejecto Car-
 dinalis petito temporale urbis domi-
 nium civibus adjudicaret, Grimanus,
 etsi patria Venetus, populares suos ad
 Papam detulit, eoquod urbem Sedi A-
 postolicæ obnoxiam occupassent. Tum
 Pontifex hanc injuriam ægre ferens ef-
 fecit, ut Veneti abrogato priori decre-
 to rem in integrum restituerent, ubi
 hunc in modum Cardinalis pristina jura
 in eandem urbem recepit. Ceterum
 hic Cardinalis Vir erat sæcularibus po-
 tius quam sacris rebus aptus (*). Obiit
 urbe

(*) Subdole Continuator reticet, quod
 Veneti ex invidia ob deperditam hanc causam
 huic Cardinali hanc notam inusserint: ita enim
 habet Ciaconius, seu potius Oldoinus, ex quo
 Continuator hæc descripsit: *Quare Veneti Scri-
 ptores, inter quos Petrus Justinianus, Mari-
 num Cardinalem nota aliqua inficiunt, virum-
 que sæcularibus potius, quam sacris rebus a-
 ptiozem nominant.* Ceterum malevolorum ac
 hæreticorum sollemnis est consuetudo, ut ea,
 quæ contra Pontifices vel Ecclesiasticos ab ali-
 quibus

urbe veteri die vigesima octava Septem-
bris in Ecclesia Cathedrali sepultus, Sæcul. XVI.
A. C. 1546.
inde vero corpus ejus Venetias ad Ec-
clesiam S. Francisci de Vinea tran-
slatum quiescit.

§. XXVII.

Franciscus Victoria mortuus.

Ex Scriptoribus Ecclesiasticis non nisi Bellarmin. de
Scriptor.
Eccl.
Aut. Senens.
de viris illust.
Domin.
Nic. Anton.
Bibl. Hisp.
Dupin. Bibl.
des Auth. t.
14. p. 173.
unicus reperitur, qui hoc anno fa-
ctus ereptus est. Is erat Franciscus Vi-
ctoria, qui a patrio solo quadam Navar-
rensis Regni urbe ita appellatus, Pari-
sios studiorum causa contendit, ibidem-
que Doctorum honoribus insignitus est,
demum vero in patriam redux sacræ
militiæ sub S. Dominici vexillo nomen
dedit, ac Salmanticæ Theologiam pub-
lice tradens plurima opuscula post ejus
obitum Venetis, Lugdunensibus, ac
Antwerpianis literis excusa conscripsit.
Ex his palmam ceteris præripit ejus
Summa de Sacramentis Ecclesiæ præter
tredecim *Prælectiones Theologicas*, qua-
rum tres primæ de potestate sacra &
profana, sequentes vero duæ de Hispa-
niæ Regum juribus in Indos eorumque
bona

quibus per calumniam afficta reperiunt, ipsi
tanquam rei gestæ veritatem suis historiis in-
ferant.

Sæcul. XVI
A.C. 1546.

bona agunt: sexta vero Prælectio examinat belli jura, ubi plures gravioris momenti quæstiones agitantur, ac septima, occasione ex Angliæ Regis divortio arrepta, matrimonium pertractat. Porro octava, quæ primam secundi voluminis partem efficit, agit de *Charitatis augmento, ac decremento*, & nona inscribitur de *temperantia*, ibidemque decedit, quod Carthusianus secluso scandalo in extrema necessitate carnis vesci adstringatur. Tandem decima de homicidio, undecima vero de simonia, ac duodecima de Magia agit. Postremo in decima tertia Prælectione quæstionem agit, *quid homo in primo instanti usus rationis facere teneatur?* Ibidemque examinat, an detur ignorantia invincibilis? Ceterum hic Author sua argumenta ex primis caussarum visceribus eruit, cunctaque non sine concinna methodo, distinctione, judicio, ac solida ratione pertractat: Illis vero multum indulgere videtur, qui ad aliorum preces imo etiam ex temporalibus rationibus ob sanguinis propinquitatem, vel amicitiam quibusdam beneficia conferunt: præterea non modo a simoniæ labe, sed etiam a gravis noxæ reatu absolvit ejusmodi Collatores, dummodo hæc beneficia idoneis concedant. Insuper in suo tractatu de Jure belli sigillatim

latim cuncta discutit: at in prælectione *Sæcul XVI.*
de potestate Ecclesiastica, hanc Ecclesiæ *A.C. 1546.*
 universali competere negat, sancto au-
 tem Petro, ejusque Successoribus pote-
 statem jurisdictionis attribuit. Porro
 Salmanticæ, ubi literas tradidit, etiam
 die decima quarta Augusti naturæ de-
 bitum persolvit.

§. XXVIII.

*Roberti Stephani Biblia jussu Regis
 a Facultate Parisiensi examinata.*

Hoc anno Christi millesimo quingen- *Argent. coll.*
 tesimo quadragesimo sexto die quar- *jud. tom. I.*
 ta Novembris Theologica Facultas Pa- *app. p. 17. t.*
 risiensis literas a Francisco I. Rege scri- *2. p. 143.*
 ptas accepit, vi quarum hujus Faculta-
 tis Doctores solerter examinare jube-
 bantur Bibliorum editionem, quam Ro-
 bertus Stephanus anno Incarnationis
 Dominicæ millesimo quingentesimo qua-
 dragesimo quinto concinnavit, ubi vul-
 gatæ etiam Leonis Judæ versio, nec-
 non annotationes Vatablo adscriptæ e-
 rant appositæ. Equidem Vatablus tan-
 ta Hebraici idiomatis peritia claruerat,
 ut ipsimet Judæi sæpius Parisiis in Re-
 gio Collegio eundem cum summa eru-
 ditione sacras Paginas interpretantem
 auscultarent, nec minori etiam Græcæ
 linguæ scientia erat imbutus, unde om-
Hist. Eccles. Tom. XXXIX. D nes

Sæc. XVI.
A.C. 1546.

nes hunc virum excipere avide certabant, hinc etiam Robertus Stephanus cum ceteris accurrens annotationes, quas celebris hic Doctor ad sacras literas in publicis prælectionibus subiecerat, diligenter collegit, easque Bibliorum, quorum hic mentionem facimus, editioni annexuit: verum hasce annotationes ea integritate, qua ex Vatabli ore hauserat, adeo non publici juris fecit, ut etiam illas plurimum depravarit, atque earum non paucas novis erroribus accommodaverit: quapropter Lovaniensis Universitas, quæ cuncta veræ fidei adversa vigili oculo observabat, præ ceteris prima contra hasce annotationes insurrexit, easque damnavit, unde fors etiam Francisci I. Galliarum Regis zelus adeo accendebatur, ut Parisiensem Facultatem ad Lovaniensis exemplum ad æqualem solertiam, atque eandem hujus libri damnationem, si necesse foret, excitaret. Data est Regis epistola ex Fonte-bellaquensi Palatio.

§. XXIX.

Status Religionis in Anglia.

Burn. tom. I. liv. 3. p. 467. Interea Religio semper in Anglia juxta Henrici Regis arbitrium, ac præcepta servabatur, cum vero idem Rex haud multos vitæ suæ dies adhuc reliquos habere

habere crederetur, hinc reformati non-
 nisi occulte Sectæ suæ venenum sparge-
 bant, spe freti, ad stabiliendos eorum
 errores tempus magis opportunum bre-
 vi adventurum. Verum Catholici di-
 versa longe ratione ducti sese aperta
 fronte Regi opponere non audebant,
 veriti, ne ipsorum repugnantia Henri-
 cum ad transgrediendos limites sibimet-
 ipsi præscriptos incitaret; inde vero il-
 linc cæcum omnibus Regis desideriis
 obsequendi studium, hinc vero immo-
 deratum hujus Principis dominium in
 omnes suos subditos oriebatur, quorum
 utrumque tamen Henricus impio pror-
 sus usu in rem suam vertebat. Ceterum
 jam ab aliquo tempore in crure ulcus
 habebat, quo gravissimis omnino dolo-
 ribus excruciatum nonnunquam adeo fa-
 stidiosus erat animi, ut nemo nisi tremu-
 la voce illum alloqui auderet, & quam-
 vis aliunde semper vultu ac sermone
 severus, gravisque esset, nunquam ta-
 men majorem animi asperitatem præ-
 fererebat, quam postremis vitæ suæ die-
 bus, hinc jam gravem illius incurrebat
 indignationem, quiscunque sese ejus
 voluntati opponebat, & licet ipse per-
 sæpe suam mutaret sententiam, raro
 tamen illis, qui ejus mutabilitati non
 applaudebant, gratiam, favoremque
 suum impendit, nec unquam illis, a
 quibus

D 2

quibus

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

Sæcul. XVI. quibus se offensum credidit, veniam indul-
A C. 1546. sit, nisi aliunde plurimum gratia & auctoritate apud ipsum valerent: ex adverso illos, qui vel intima ipsius amicitia honorabantur, vel ejus animum falsa persuasione jam præverterant, tam potenter protegebat, ut non raro accusatos, etiam si eorum crimen nulla tergiversatione celari posse videretur, nihilominus tanquam innoxios defenderet. Hoc pacto ipsum etiam Cranmerum Cantuariensem Archiepiscopum contra omnes ejus accusatores tutabatur.

§. XXX.

Cranmerus Cantuariensis Archiepiscopus apud Regem delatus.

*Burnet hist.
de ref. p. 470.*

Hic idem Archiepiscopus accusabatur, quod rejectis sex illis antea memoratis articulis Sacramentorum hostes protegeret, palamque novæ Reformationi faveret. Præterea exponebant alii Henrico, quod hujus accusationis veritas validis comprobata sit argumentis, nunc vero non modo hujus Præsulis dignitas, sed vel maxime summa ejus auctoritas illum ferme contra omnem juris rigorem omnino tutum redderet, omniumque accusantium ora mox severa illa objurgatione, qua sua Majestas ejusmodi delatores jam sæpius

pius excepisset, clauderentur: si tamen addebant illi, Cranmerus Londinensi Turri includeretur, abs dubio tunc depulso timore illius crimina libere detegerentur. Cum ergo Henricus hunc Archiepiscopum altera die a Senatu Regio citari permisisset, spes affulgebat, fore, ut Rex illum, si reus inveniretur, ad turrim abstrahi juberet. Verum paulo post Rex illum concubia nocte accersiri præcepit, atque illi cuncta, quæ in eum alii molirentur, consilia manifestavit, eique omnia suggestit media, quibus eorum insidias eludere posset: præprimis vero eundem admonuit, ut quidem coram Senatu compareret, peteret tamen, quatenus tanquam Regis Regnique Consiliarius haberetur, ac priusquam de eo quicquam decerneretur, præsentibus suis accusatoribus audiretur, si vero iudices hisce postulatis annuere recusarent, in eum casum suadebat Rex, ut ad ipsum provocaret, hancque ob causam se a Senatu absentem fore Rex promisit: id vero cum diceret, anulum Regium e digito suo detrahens hæc Cranmero dixit, si iudices tui appellationem tuam acceptare cunctabuntur, hunc eis anulum exhibeto.

Sæcul. XVI.

A.C. 1546.

Sæcul. XVI.
A.C 1546.

§. XXXI.

*Cranmerus a Rege defensus atque in
hostes suos crudelis.*

Igitur Archiepiscopus hisce Regis monitis suffultus, atque a Senatu citatus, Curia portam accessit, comitante eum Regio Satellite: ast tam diu subsistere jubebatur, usque dum Rex per suum Medicum de tota rei serie certior factus præciperet, ut mox aulam ingredi permitteretur. Adstanti itaque Senatores exponunt, quatenus adversus ipsum ejusque Sacellanum, eoquod hæresi faverent, plures testes fuerint excepti. His Cranmerus, prout a Rege edoctus fuerat, respondit, cum vero Senatores acrius insisterent, ita eos alloquebatur: Haud satis mirari possum, quod me tam indignum in modum habere præsumatis, eapropter ad Regem provocare compellor. his dictis mox Regis annulum extraxit, quo conspecto vix verbis exprimi potest, quanto terrore Senatores perculsi fuerint, hinc illico e suo loco surgentes Henricum accesserunt, verum ab eo durissimis verbis excepti hæc in responsis retulere: hætenus credideram, quod Senatus meus viris prudentia ac sapientia conspicuis clarus esset, nunc vero illum
non.

nonnisi ex fatuis conflatum experior: Sæcul. XVI.
A C. 1546.
per Deum testor, quod Archiepiscopum
semper tanquam subditorum meorum
fidelissimum veneraturus, meque illi
plurima debere, palam professurus sim:
cum autem Norfolciæ Dux Senatus in-
nocentiam, æquamque agendi rationem
vindicare aggrediretur, eidem Rex re-
posuit: Viros mihi caros male haberi
nolo, aliunde vero nota mihi sunt dis-
sidia & odia, quæ inter vos grassantur,
ast illa vel sublata cupio, vel saltem
illorum Authoris castigabo. Postea il-
lis præcepit, ut iterum in Archiepisco-
pi gratiam redirent, quod & ipsi saltem
specietenus præstiterunt.

§. XXXII.

*Quorundam molimina Reginam Hen-
rico exosam reddendi.*

Cum hæc molimina successu carerent, Burn. p. 473.
De Rapin
Thoiras hist.
d' Anglet.
t. 5. p. 462.
non jam Cranmero, sed ipsi Regi-
næ molestiam creandi consilia agitaban-
tur. Hæc propalam prætensæ favebat
Reformationi, novosque Spurii Evan-
gelii Præcones in suo cubili sermones
habere jubebat, cumque Henricus Re-
ginam tenero complecteretur affectu,
aliquamdiu eam de nova Religione dif-
ferentem, ac nonnunquam Protestanti-
bus patrocinantem lubens sustinuit,

D 4

tandem

Sæcul. XVI. tandem vero hasce disputationes per-
 A. C. 1546. tæsus atque exosus remissius Reginam
 amare cæpit, ac quadam die Viacomien-
 si Archiepiscopo totam rei seriem ma-
 nifestavit. Hic quantocius Regis in-
 dignationem pluribus commendavit,
 moxque a Cancellario iussus est, ut qui-
 busdam articulis contra Reginam dela-
 tis subscriberet, cum autem hæc acta
 essent deperdita, atque a quodam Re-
 ginæ Ministro reperta, hæc rem edocta
 tempestatem sibi imminentem præver-
 tere statuit, Regemque animo tam in-
 trepido adiit, perinde ac si de insidiis
 sibi structis nullam omnino notitiam
 haberet.

§. XXXIII.

Rex Reginæ excusatione placatus.

Verum Rex confestim sermonem ad
 novæ Religionis capita deflexit, il-
 la autem ad hæc reposuit: „ Mulier
 „ creata est, ut viro subjiceretur, ab
 „ eoque doctrinam hauriret, proin me-
 „ um est a Majestate sua circa fidem in-
 „ strui. Erras, respondit Rex, tu e-
 „ nim Doctrix evasisti, unde non
 „ ego te, sed tu me instruere vales. „
 Ad hæc Regina in responsis dedit; „haud
 „ obscure cognosco, quod meam, qua
 „ nonnunquam cum Majestate vestra
 „ dispu-

„ disputabam, libertatem ægre ferat, Sæcul. XVI.
 „ id vero a me factum, ut quodam- A C. 1546.
 „ modo fastidium, quo Regem meum Revol. d'
 „ affici cernebam, dissiparem, ab eo- Angl. P. Or-
 „ que pro utilitate mea doctrinam hau- leans tom. 2.
 „ rere possem. „ Si ita est, reposuit p. 438.

Rex: „ Reviviscet inter nos pristinus a-
 „ mor. „ His dictis Henricus in Re-
 ginæ amplexus ruebat, eique constan-
 tis amicitiae suæ fidem signaque dabat.
 Porro altera die Regina unacum qui-
 busdam Matronis suis capta ad Londi-
 nensem Turrim abducenda fuisset, jam-
 que ad id faciendum quadraginta Satel-
 lites adesse jubebantur: Verum revoca-
 to hoc mandato non modo consilia ad-
 versus Reginam æque ac contra Cran-
 merum procusa evanuerunt, sed etiam
 eadem calamitates recidebant in eorum
 nonnullos, qui hujus machinationis Au-
 thores vel saltem focii esse credebantur.

§. XXXIV.

*Norfolciæ Dux ac Surregiensis Co-
 mes Turri inclusi.*

Præprimis Gardinerus Viacomienfis Milord Her-
 bert hist.
 Episcopus Reginæ gratia excidit, Regn. Hen-
 ric. VIII.
 eique Rex Senatam accedere inhibuit,
 præprimis vero graviores Regiæ indig-
 nationis procellæ feriebant Norfolciæ
 Ducem, ejusque filium Surregiæ Co-
 mitem;

D 5

Sæcul. XVI
A.C. 1546

mitem; ambo enim Londinensi Turri includebantur, quæsito obtentu, quod Religioni Catholicæ faverent, & haud temere pertimescendum foret, ne defuncto Rege Eduardum Regis Filium a solio arcerent, ac Mariæ Principi Regium diadema imponi curarent. Placuit non paucis hic prætextus, utpote ad exitium utrique huic Principi pluribus fat exoso peropportunos; ut vero hic obtentus quamdam veritatis speciem præseferret, quamprimum ambo in carcerem fuerant coniecti, mox per præconis vocem nuntiabatur, omnibus, qui contra hosce captos quicquam deferre possent, benignas omnino aures esse præbendas. Non deerant itaque non pauci, qui ambos accusarunt, quod consilia Regno perniciosissima molirentur, atque pro eorum executione non nisi Regis obitum præstolarentur, hancque ob causam Surregiensis Comes mortua conjugæ suæ nuptias omnino proficuas respuerit, eo fine, ut Mariam Regis filiam duceret. Hæc accusationum capita tunc primum efficacius urgebantur, quando opportunum adspirare tempus credebatur.

§. XXXV.

§. XXXV.

Sæcul. XVI.
A. C. 1546.*Regni Successio testamenti tabulis ab
Henrico VIII. stabilita.*

Hucusque Henricus unice ea ex causa sceleribus fordescere videbatur, ut proprios suos liberos, eorumque Matres plectendi occasiones aucuparetur, nam præprimis repudiata Catharina Arragonia, ejus filiam Mariam velut Notham declarari jussit, postmodum vero Anna Bolena capite plexa Elisabetham ex hoc connubio susceptam æque ac Mariam pari infamia notavit, quinimo utramque in Regno succedendi jure privavit. Attamen cuncta hæc perversæ suæ indolis vitia per testamentum cum majori maturitate confectum sanasse videtur: percipiamus igitur, qua ratione Rex jus succedendi stabilierit, ad id concessa eidem facultate per Senatus tabulas anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo tertio: Ergo Henricus testamento caverat, ut Eduardus ejus Filius, istiusque posterius defuncto Regi præprimis succederent, si autem is sine prole decederet, tunc Maria Princeps, ejusque filii ad Regni jura vocarentur, ea tamen lege, ut absque præscitu, ac consensu illorum, qui pro testamenti executione nominati

tum

*Act. publ.
Angl. t. XV.
p. 100. & seq.*

Sæcul. XVI. tum adhuc in vivis erunt, connubium
A C. 1546. minime iniret, ni suo jure privari ve-
 lit. Porro tertio loco ad hæreditatem
 nominabatur Elisabetha, sed sub iisdem
 conditionibus, quibus Mariæ succeden-
 di jus asserebatur. Ceterum his defi-
 cientibus quarto loco scripta erat Fran-
 cisca Brandon Mariæ sororis suæ, ac Suf-
 folciæ Ducis filia, cui quinto denique
 Eleonora Brandon Franciscæ foror na-
 tu minor subrogabatur. Demum Hen-
 ricus subjunxit, quod tunc, si omnes an-
 tea nominati sine prole decederent, re-
 gnum ad proximum hæredem devolve-
 retur, hac vero dispositione Rex haud a-
 liam intelligere poterat personam ac Ma-
 riam Scotiæ Reginam Margarithæ sororis
 suæ natu majoris Neptem, quæ spectato
 Regii sanguinis ordine prior quam liberi
 Mariæ, quæ junior Regis soror erat,
 ad successionem vocari debuisset. Ce-
 terum hoc testamentum die trigesima
 Decembris anno Domini millesimo quin-
 gentesimo quadragesimo sexto conditum
 fuit, ad cujus executionem tredecim
 nominabantur Proceres, quorum po-
 tissimi erant secretioris Senatus Princi-
 pes, atque inter eos præcipue Cantua-
 riensis Archiepiscopus, supremus Reg-
 ni Cancellarius, & præter alios Her-
 fordæ Comes.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.*Pia Legata in Henrici VIII. Testamento facta.*

His ita ordinatis, præterea eodem Te-
 stamento plura alia disposuerat, ac præprimis ad erigendum Nosocomium sub Christi Jesu nomine quater mille quingentas annui redditus libras Londonensi urbi reliquit, insuper huic liberalitati addidit Legatum, quod Fratrum Minorum Ecclesiæ haud procul a porta nova sitæ obveniret. Præterea proventus assignavit pro fabrica ac sustentatione Collegii ad SS. Trinitatem in urbe Cantabrigiensi, nec minus illis, quorum fidei hanc supremæ voluntatis executionem demandabat, injunxit, ut omne æs alienum, quo gravabatur, solverent: Eduardum autem Principem filium suum hæredem scripsit totius suppellectilis, vasorum argenteorum, gemmarum, omnisque rei tormentariæ &c. Mariæ vero ac Elisabethæ Filiabus suis tria librarum Sterlingicarum millia, usquedum nupserint, persolvenda constituit, dotis autem nomine cuilibet decem ejusdem monetæ millia assignavit. Tandem Reginae uxori suæ præter hoc, quod cunctis Mariti sui bonis frui posset, etiam tria librarum millia numerari præcepit.

§. XXXVII.

Sæc. XVI.
A.C. 1546.

§. XXXVII.

*Jesuitarum Scholæ in Europa &
Gandia.*

*Orlandin.
hist. Societ.
l. 7. n. 25.*

Hoc item anno supra millesimum quin-
gentesimo quadragesimo sexto Ig-
natii Loyolæ Discipuli humaniores li-
teras ac Philosophiam in Europa trade-
re cæperunt, dum jam sextus effluxerat
annus, quo illorum institutum a Papa
fuit confirmatum. Porro Franciscus
Borgia Gandiæ Dux necnon Cataloniæ
Prorex ceteris prior illis ad hasce Scho-
lasticas exercitationes viam aperuit;
hic enim Princeps novis hisce Clericis
seu Religiosis plurimum addictus,
cum viduus esset, eorum institutum am-
plecti ipse desiderabat, piisque hoc
consilium anno sequenti effectui dedit,
interea vero in Gandiensi urbe Colle-
gium condidit, ut ibidem Jesuitæ non
modo humaniores literas, sed etiam
Philosophiam, quin imo & Theologiam
tradere possent. Novum hoc opus, ut
firmitate sua subsisteret, adlaborabat
Pater Faber, qui tum Vallisoletti agens
a suo Præposito Generali illuc ad Du-
cem mittebatur, rebusque omnibus ri-
te dispositis Professores illuc decerneban-
tur: Ut vero hoc Collegium magis in-
claresceret, Dux illud Universitatis ju-
ribus

ribus decorari a summo Pontifice ac Cæsare impetravit, addito etiam privilegio, vi cujus Scholares ibidem ad Doctoratus gradum ascendere, omnibusque illis favoribus frui possent, quibus illi antea Compluti ac Salamanticæ aucti fuere. Ceterum hujus Collegii statuta ipse S. Ignatius præscripsit.

Sæc. XVI.

A.C. 1546.

§. XXXVIII.

Aditus ad Episcopatus sponte a Jesuitis sibi interclusus.

Ut autem sanctus Ignatius a sua Societate non tantum pro præsentibus, sed etiam futuris temporibus omne ambitionis fomentum arceret, a summo Pontifice obtinuit facultatem, vi cujus omnes ejus Discipuli, eorumque Successores a cunctis Beneficiis, Episcopatibus, Abbatibus, aliisque Ecclesiasticis honoribus perpetuo excluderentur. Porro id ut Ignatius a Papa peteret, eidem ansam præbuit electio, qua Ferdinandus Romanorum Rex, ac Cæsaris Frater nuperrime Patri Jajo Tergestinæ Ecclesiæ Episcopatum detulit, eidemque literas submitit, in quibus illi factam nominationem significavit, cum autem præfatus Pater nullatenus consentiret, Ferdinandus Papam, ut illum ad acceptandam dignitatem præ-

præ-

Sæcul. XVI.
A.C. 1546. præcepto Apostolico urgeret, enixe rogavit: suo autem Legato in mandatis dedit, ut hoc negotium ad exitum deducere totis viribus niteretur. Ignatius recepta literas ad Ferdinandum dedit, quibus acceptis Rex haud ultra Patrem Jaium sollicitabat, sed totam rem ad Pontificem referendam Legato suo commisit. Attamen Ignatius, ne progressu temporis ad ejusmodi dignitates alii adspirarent, exclusionem, cuius modo meminimus, petiit, eamque obtinuit.

§. XXXIX.

Monialium Regimen a S. Ignatio suis interdictum.

Ribad. l. 3. c. 14. p. 230. Bouhours vie de S. Ign. liv. 4. p. 292. Cum igitur S. Ignatius animum a cupiditate adeo alienum præferret, magnam sibi nominis sui existimationem conciliabat, unde non pauci, imo etiam fœminæ sese ejus obedientiæ submittere gestiebant, atque inter eas præcipue Isabella Rossela de Ignatio optime merita tanto illum visendi desiderio flagrabat, ut ex Hispaniis Romam delata sese illius prudentiæ regendam tradere omnino decerneret. Hujus propositi socias sibi elegerat duas nobiles Matronas patria Romanas, quæ una omnes iisdem Religionis votis, quæ Jesuitæ
nuncu-

nuncupant, sese obstringendi facultatem a summo Pontifice impetrarunt. Sæcul. XVI.
A.C. 1546.
 Primo quidem Ignatius haud obstitit, & quamvis ejusmodi curam Societatis suæ instituto valde alienam probe cognosceret, nihilominus nobili huic foeminae gratificari cupiens, harumque Religiosarum exiguum numerum considerans humeros supponere statuit: verum brevi eum suscepti laboris poenitentia subiit, professusque erat, quod trium muliercularum gubernatio illi plus molestiæ atque occupationis, quam totius Societatis regimen afferret; quippe nunquam colloquia cum eis abrumpi poterant, ac singulis ferme horis eorum quæstionibus satisfacere, animi anxietates tollere, eorum querelas excipere, & dissidia componere oportebat: Præterea Ignatius experientia didicit, quod ejusmodi personæ non modo ipsæ, quin tamen ad majorem animi quietem, raroque ad meliorem frugem reducuntur, magnam temporis jacturam faciant, sed insuper illos, qui earum curam in se suscipiunt, ad longius tempus frustra conterendum impellant, hinc summum Pontificem adiit, rogans, ut ipsum, suamque Societatem ab hoc onere liberaret. Perceptis Ignatii rationibus Papa literas Apostolicas expediri jussit, vi quarum Jesuitæ in perpetuum a cura

Hist. Eccles. Tom. XXXIX. E Mo-

Sæcul. XVI. Monialium sub Societatis obedientia,
A.C. 1546. vel in communi, vel separatim vivere
 desiderantium eximebantur.

§. XL.

*Guilielmus Postelus Societatem ingres-
 sus, sed inde expulsus.*

*Orland. l. 5.
 n. 3. ad ann.
 1545.
 Bouhours l.
 c. l. 4. p. 260.
 Memoir. de
 Litterature
 de Selengre
 1715. tom. I.
 p. 22.* Anno priori millesimo quingentesimo
 quadragesimo quinto Ignatius suis
 quemdam aggregabat, quem tamen
 brevi dimittere cogebatur. Erat is Gui-
 lielmus Postelus die vigesima quinta
 Martii anno Domini millesimo quingen-
 tesimo decimo, juxta certiolem Scri-
 ptorum opinionem Barantoniae, Abri-
 canae Diocesis oppido in inferiori Nor-
 mannia ex paupere familia ortus: hic
 parentibus suis præmature orbatus re-
 licta patria sua nonnisi tredecim annos
 natus Sayam, quæ urbs est in Vexinen-
 si ditone prope Pontisaram sita, per-
 venit, ubi postea, licet ætate oppido
 juvenis esset, pueris tamen erudiendis
 operam dedit, collectisque pecuniis
 Parisios contendit, ut ibidem sua studia
 proficeretur: verum adversa usus for-
 tuna in quosdam latrones incidit, a
 quibus noctu, cum somno gravatus es-
 set, paucis nummis suis, omnibusque
 vestibus spoliatus fuit, adeo, ut ad ex-
 tremam inopiam redactum se cerne-
 ret,

Sæcul. XVI.
A. C. 1546.

ret, cumque ob frigus, quo ferme nudus vehementissime cruciabatur, alvi fluxu laboraret, ad Xenodochium deferre-
 rebatur, ubi pro recuperanda salute plusquam biennio hæerere compulsus est: vix autem restauratis viribus Lute-
 tiis Parisiorum ob extremam, qua tum urbs premebatur, rei cibariæ carita-
 tem excedere, indeque messis tempore Blesiam petere cogebatur, ut ibidem spicas a messoribus neglectas legendo victum quæreret, quo labore, ac indu-
 stria tantum sibi comparabat, ut vestem emere, expensasque itineris, quod Pa-
 risios versus mense Octobri aggressus est, ferre posset: quamprimum ergo illuc advenerat, in Collegio S. Barba-
 ræ famulum egit, ibidemque indefesso studio literis incumbere cæpit.

Postquam vero ibidem adhucdum Judæos commorari, illosque hæbraicis literis uti intellexerat, primas eo curas intendit, ut hæbraicum Alphabetum conquiret, quo obtento, ac memoriæ mandato quemdam, in quo gram-
 matices præcepta continebantur, libellum emit, brevique sine ullius Magistri ope magnos progressus fecit. Nec mi-
 nori studio operam navavit Græco idio-
 mati, quod intra exiguum temporis spa-
 tium succisivis horis didicit: demum
 cujusdam Lusitani Nobilis amicitia ac

E 2

Magi-

Sæcul. XVI Magisterio usus intra paucos menses
A.C. 1546. Hispanas literas comprehendit: cum
 igitur idem Nobilis Postellum in Lusitaniam accersere statueret, ut illum ad suscipiendum iter alliceret, eidem Professoris munus unacum quadringentorum nummum aureorum pensione obtulit. Verum Postellus oblatum hoc munus deprecatus maluit proprium suum ingenium literis excolere, quam aliis ejusmodi disciplinas tradere, quarum artem, ac cognitionem semetipsum necdum satis penetrasse existimabat. Ceterum nominis sui fama, ac meritum gloria plures amicos ac fautores sibi conciliabat, quorum ope literis peropportune incumbere poterat, quin quoddam beneficium Ecclesiasticum acceptare cogeretur: Porro paulopost Franciscus I. Galliarum Rex eundem Constantinopoli ablegabat, unacum Foresto, quocum Postellus non ita pridem hoc idem iter instituerat: inde vero jam altera vice redux perbenigne a Rege, ejusque sorore Navarræ Regina excipiebatur, atque exiguo post tempore duodecim linguarum Alphabetum edidit, quod quadrantibus foliis anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo octavo Parisiensibus literis excusum prodiit. Eodem anno itidem tractatum *de hæbraicæ linguæ ac gentis antiqui-*

quitate typis edi curavit, necnon sub ^{Sæcul. XVI.}
 idem tempus, ut quorundam fert opi- ^{A.C. 1546.}
 nio, suam Grammaticam Arabicam
 haud indicato editionis anno vulgavit.
 Ceterum tanta in Galliis benevolentia
 excipiebatur, ut eundem Franciscus I.
 Regium Matheseos, & linguarum Ori-
 entalium Professore unacum ducen-
 torum aureorum censu nominaret, quin-
 imo Navarræ Regina adhuc eidem quam-
 dam adjecit pensionem, cum vero Poyeti
 Cancellarii partes tueri præsumeret,
 sibi Reginæ indignationem accersivit,
 unde e Galliis discedens Viennam in
 Austria contendit, ubi rursus variis ja-
 ctabatur fatis, quorum acerbitate Ve-
 netias aufugere compulsus inde Ro-
 mam anno millesimo quingentesimo
 quadragesimo quinto venit, ibidemque
 Societatis Jesu Auctorem visendi desi-
 derio incensus, ejusque blandis mori-
 bus captus, hoc institutum profitendi
 votum emisit, tamque ardens desideri-
 um præseferabat, ut Ignatius, cui Po-
 stelli nomen jam aliunde erat cognitum,
 illum suis Novitiis aggregandum, at-
 que in Instituti sui tyrocinium cooptan-
 dum omnino censeret.

Verum paulopost se externo hujus
 viri splendore deceptum agnoscebat,
 quippe hic tyro ex Rabinorum lectione,

Sæcul. XVI. atque Astrorum contemplatione me-
A.C. 1546. moriam suam tot tantisque deliriis im-
 buit, ut nequidem sese cohibere posset,
 quin ea exterius quoque proderet, quo-
 circa Ignatius eum non modo verbo-
 rum lenitate, sed etiam severa objurga-
 tione ad saniora reducere studuit, eum-
 que commisit curæ Laynesii ac Salme-
 ronis, qui ambo tum adhuc Romæ a-
 gentes illum erroris sui convincere, ei-
 que D. Thomæ lectionem commendare
 satagebant. Nec his contentus Igna-
 tius insuper ipsummet summi Pontificis
 Vicarium adiit, qui vir erat summa e-
 ruditione clarus, atque ad corrigendas
 perversas hujus Tyronis opiniones ap-
 prime idoneus: cum autem Ignatius
 cuncta hæc remedia frustraneo conatu
 adhiberi, ac Postellum indies pertina-
 cius suis deliriis inhærere ac fatidicum
 agere intellexerat, illum a sua So-
 cietate expulit, cunctisque suis Alum-
 nis omne cum illo commercium inter-
 dixit. Hæc gesta fuere, ut creditur,
 hoc anno millesimo quingentesimo qua-
 dragesimo sexto vel saltem anno se-
 quenti.

§. XLI.

*Duo Jesuitæ jussu Pontificis a S. Ig-
 natio Tridentum missi.*

Ineunte eodem hoc anno Domini mille-
 simo

fimo quingentesimo quadragesimo sexto Sæcul XVI. A.C. 1546.
 Paulus III. Pontifex Maximus a S. Ig- Orland. l. 5. n. 21. & l. 6. n. 21. & l. 7. n. 23.
 natio duos Theologos e Societate Jesu
 transmitti petiit, ut Tridentinæ Syno-
 do unacum Legatis Apostolicis interes-
 sent. Hanc in rem Ignatius selegit Ja-
 cobum Laynez & Alphonsum Salmeron,
 ambos quidem ætate juvenes, in Theo-
 logia autem, ac Religionis negotiis ver-
 satissimos: cum autem sanctus Pater
 vereretur, ne insigne Pontificii Theo-
 logi Nomen pro tam celebri Concilio
 hosce viros ab humilitatis semita abdu-
 ceret, hinc illos, antequam discede-
 rent, monitis oppido salutaribus præ-
 muniebat, præcipue eis commendans,
 ut unice Ecclesiæ bonum, proximi sa-
 lutem, ac propriæ animæ profectum
 respicerent, suasque sententias modeste
 semper edicerent, & plus humili-
 tatis, quam scientiæ præseferentes cum
 magna sedulitate illorum, qui præ ce-
 teris primi declamant, consilia inspi-
 cerent, ut & ipsi postea mentem suam
 vel aperirent, vel opportuno silentio
 consentirent. Præterea eos admonuit,
 ut in disputationibus, quæ circa varia
 argumenta movebuntur, utriusque par-
 tis rationes allegarent, ne propriæ sen-
 tentiæ pertinacius insistere viderentur.
 Porro cum præfati ambo Patres Jaium
 Theologum ac Cardinalis Augustani
 Depu-

Sæcul. XVI. Deputatum Tridenti conventuri essent, hinc Ignatius eos hortabatur, ut sua ei studia jungerent, omnesque tres perfecto charitatis vinculo uniti nec contrarias opiniones, vel judicia ferrent, nullamque omnibus obsequendi occasionem prætermitterent.

§. XLII.

Articulus de Justificatione in quadam Tridentini Concilii Congregatione expositus.

*Pollav. hist.
Conc. Trid.
l. 8. c. 2. n. 1.
& 2.*

Die vigesima prima mensis Junii, quarto post quintam Sessionem die generalis habebatur congregatio, cui Marcellus Cervinus alias Cardinalis sanctæ Crucis dictus præfuit, eo quod Montanus adversa valetudine præpediretur. Ibidem Massarellus, qui Synodo a secretis erat, Legatorum jussu scriptum prælegit, quod quasdam circa justificationem quæstiones complectebatur. Erat autem tenor illius hic: damnatis circa peccatum originale hæresibus ordo deposcit, ut juxta methodum Confessionis Augustanæ, quam Synodus articulatim examinandam suscepit, agat de dogmate circa gratiam, quæ est remedium peccati: quocirca Patres, ac Theologi sedulo hoc argumentum discutiant,

tiant, eoquod Lutherus a primo hære- Sæcul. XVI.
 sis suæ initio indulgentias impugnans A.C. 1546.
 probe prospexerit, quod evertere oportet
 pœnitentiæ opera, quibus indulgentiæ subrogabantur: hanc quoque in
 rem doctrinam hucusque nunquam auditam excogitavit, qua nos per solam
 fidem justificari tradidit, exinde vero postea intulit, quod nullæ actiones piæ
 requirantur, ac proin nec etiam Dei vel Ecclesiæ leges observare necesse sit,
 hacque ex ratione Sacramentorum virtutem, Sacerdotum auctoritatem, pœnas
 piaculares, Missæ Sacrificium cunctaque alia remedia ad noxarum con-
 donationem instituta abrogavit: Ut ergo Catholicæ Doctrinæ veritas propug-
 naretur, hæreticum hunc articulum *de justificatione per solam fidem* evertendum,
 atque Blasphemias, quæ præfatus piarum actionum hostis evomuit, præpri-
 mis damnandas esse edixit.

His subjunxit Cardinalis S. Crucis:
Justificationis articulus, de quo tunc agendum est, obscurior evadet, quam jam sancitus de peccato originali: etenim, cum de hoc veteres Scholastici copiose disputassent, de illo perpauci egerunt. Plurimum tamen ei lucis affusum a Catholicis Scriptoribus, qui a vigesimo jam anno Lutheranorum errores redarguerant. His adjecit Polus: Caput hoc superiori apte conjungitur, ut
 E 5 *cognita*

Sæc. XVI. cognita per illud bonorum jactura in primo
A.C. 1546. *Adamo facta, inde intelligerentur per hoc
 bona in secundo Adamo recuperata. Quo
 autem res erit implicatior, eo frequentiori-
 bus precibus opus est ad divinum lumen im-
 petrandum: hinc Patres cohortor, ut libros
 vel adversariorum perlegant, non animo in-
 fenso, sed æque in utrumque parato: ne-
 que dicant, Lutherus hoc scripsit, igi-
 tur falsum: cum hæreticorum sit industria,
 falso fidem quærere veris admixtis: nisi hac
 animi æquabilitate hosce libros perlegerint,
 sed pronis ad cuncta refellenda votis, veri-
 tas eam quærendo amittetur: cujus rei ex-
 emplum potest conspici in Alberto Pighio,
 qui in articulo de originaria noxa, dum u-
 niversam Lutheranorum doctrinam rejicere
 conabatur, prope in Pelagianorum errorem
 lapsus est. His porro Pacecus adjunxit:
 Ad justificationem expendendam non modo
 antiquorum Scholasticorum desunt subsidia,
 sed etiam veterum Conciliorum Decreta:
 Tridentinum id primum enititur, proinde
 videtur mihi, aliam hic rationem ineundam,
 quam in dogmate jam firmato: ea autem
 optima foret, si Theologi per privatos con-
 gressus rem enuclearent inter se, donec om-
 nia capita rite censerentur expensa, quæ po-
 stea ita digesta, conjunctim ad Patrum cæ-
 tum proferrentur, quo perspecto omnium
 inter se connexu, posset de cunctis pariter
 ferri judicium simul, ac decretum confici ma-
 jori*

Sæcul. XVI.
A. C. 1546.

jori cum luce, minorique temporis impen-
dio: alii interim, quibus negotium erat da-
tum, quæ fuerant observata ad mansionem
spectantia, simul colligere possunt. Præter
hæc doleo ex animo, ubi tam ardua nego-
tia ampliolem Patrum frequentiam flagita-
rent, non modo eos desiderari, quorum con-
tumacia incusabatur, sed esse Patres, qui
quotidie Tridento discedunt. Et quam-
quam ii abirent, Sessionis die postea rever-
suri, minimi tamen aestimo ipsorum inter-
ventum in ea cæremonia, in qua nonnisi vo-
culam: placet, proferrent. Quin mirum
mihi videtur, quo pacto nonnulli sententiam
suam dicerent de iis, quæ prius accurate
non perpenderant: Proinde mandandum est,
ne quis inde absque facultate recedat, quam
ad decem seu quindecim dies concedere Lega-
tis liceat, ad longius vero tempus, nonnisi
Synodus concedat. Ad ea respondit Cer-
vinus: Legati ne brevissimum quidem
abeundi tempus ulli indulserunt, cum id
Veronensis Antistitis Adjutori negassent,
oçto dierum absentiam postulanti, quo so-
lemni Corporis Christi supplicationi in sua
Ecclesia propinqua interesset: ast Episcopi
hanc veniam sibi ipsis arrogant.

§. XLIII.

*Articulus de Episcoporum Residentia
in alia Congregatione discussus.*

In sequenti Congregatione pro morum
Refor-

Sæc. XVI.

A.C. 1546.

Pallav. l. c.

t. 2. n. 2.

Reformatione proponebatur articulus de Residentia Episcoporum, ubi Cardinalis Montanus, qui tum intererat, hanc in rem ita perorabat: *A multis annis omnes de Præsulum & Pastorum absentia graviter queruntur, assiduitatem in residendo flagitantes, omnium malorum Ecclesie causam, Præsulum & Curionum a functionibus suis absentiae adscribendam: Ecclesia enim navi non absimilis est, quæ absente nauclero, cujus est eam gubernare, facile submergitur. Hæreses, ignorantia, luxusque in populo, morum item corruptela, & vitia in clero ideo regnant, quoniam per Pastoris a grege absentiam, nemo est de illo insituendo, aut hoc corrigendo sollicitus; cum Pastores in ministerio assidui non sint, fit, ut Ministri ignari & indigni ad id numeris assumantur, atque itidem evenit, ut ad Episcopi dignitatem homines ad quidvis aliud, quam ad eam Provinciam capeffendam aptiores, promoveantur.*

Inde vero malum continuata serie propagatur, ac perpetua abusuum scaturigo fovetur: Montanus cum hac super re gravibus admodum verbis declamasset, ita concludit: *Residentia igitur, & sedulitas Præsulum imprimis stabilienda, quæ ad omnes Ecclesie morbos persanandos remedium est efficacissimi usus, a Conciliis & Pontificibus etiam olim adhibitum: sed iis sæculis in eo genere non multum peccabatur,*

batur, aut alia de caussa non ita validis Sæcul. XVI.
 arctisque ligaminibus applicitum remedium A. C. 1546.
 fuit, ac firmatum, quam hæc tempora re-
 quirunt; quibus malum, quod nunc ad cul-
 men pervenit, severioribus monitis, suppliciis
 gravioribus magisque formidolosis, ac ra-
 tionibus ad exequendum facilioribus, vindi-
 candum est.

Hæc sententia illis Episcopis, qui
 præ ceteris primi sententiam edicebant,
 probabatur: Verum Jacobus Cortesius
 patria Florentinus, atque Veronensis
 Episcopus dilaudata reliquorum opinio-
 ne hæc subjunxit: *Mihi quidem persua-
 sum est, quod Præsulum ac Curionum præ-
 sentia fuerit caussa priscis illis Ecclesiæ tem-
 poribus sinceræ apud populum Religionis,
 & disciplinæ apud clerum retinendæ: at
 possem liquido demonstrare, ipsorum absen-
 tiam proxime actis sæculis caussam non ex-
 titisse fidei & disciplinæ subversæ, imo con-
 suetudinem illam non residendi ideo introdu-
 ctam, quia prorsus inutile erat in puritate
 doctrinæ apud populum conservanda, cum
 fratribus & quæstoribus prædicandi aucto-
 ritas ipsis invitis, esset concessa. Pervulga-
 tum est, novitates in Germania natas con-
 cionibus fratrum Joannis Tezelii & Mar-
 tini Lutheri; apud Helvetios concionibus
 F. Samsonis Mediolanensis, neque aliud
 operæ navatæ pretium reportaturus erit E-
 piscopus in officio sedulus, & assiduus con-
 tra*

Sæcul. XVI. A.C. 1546. tra eos, qui muniuntur privilegiis, præter causæ suæ jacturam post conflictum: nec fieri potest, ut Episcopus ad vitam honeste degendam clerum adducat, cum præter generalem Regularium omnium immunitatem, singula Capitula suas habeant exemptiones, paucique reperiantur Sacerdotes privati ab hac armatura immuniti. Jam non est penes Episcopum, providere, ut homines idonei ad ministerium assumantur, propter licentias de promovendo, & facultates Episcopis titularibus concessas, per quos fit, ut Ordinariis vix relictum sit ministerium. Immo, in summa, vere dici potest, Episcopos ideo non in suis Diœcesibus mansisse, eoquod nihil reliqui fuisset, quod agerent: aut potius ut majora incommoda devitarent, quæ ex competitione & contentione cum privilegiatis possent provenire, itaque mihi præprimis necessaria videtur assidui ministerii restitutio: sed de auctoritate Episcopali in integrum restituenda cura etiam habenda. Hæc Veronenfis Episcopi sententia ceteris probabatur, unde Legati ut ea res maturius discuteretur, consensere, simulque Patrum nonnullis negotium dederant, ut decretum postea examinandum desuper conficerent.

§. XLIV.

Sæcul. XVI.
A. C. 1546.*Articuli de Justificatione a Theologis
examinandi.*

Multis ante diebus in conventu die *Pallav. c. 4.*
vigesima prima Junii habito qui- *n. 1. & 2.*
busdam Theologis fuerat injunctum, ut
articulum de Justificatione expenderent,
ac de hisce sex capitibus suam senten-
tiam edicerent. *I. Quid sit Justificatio,*
tum quod ad nominis significationem, tum
quod ad ipsam rei naturam spectat: Et quid
intelligatur, cum dicitur, hominem justi-
ficari. II. Quænam sint justificationis caus-
sæ: nimirum quid Deus efficiat, quidve ex
parte hominis ad id requiratur. III. Quo
pactò intelligendum Apostoli dictum, homi-
nem justificari per fidem. IV. Quid ad
justificationem pertineant opera, quæ ipsam
antecedunt & subsequuntur: Et quid ad ean-
dem pertineant Sacramenta. V. Quid an-
tecedat, comitetur, ac subsequatur Justi-
ficationem. VI. Sancienda dogmata, qua-
nam auctoritate niterentur, seu divinarum
Scripturarum, seu Conciliorum, seu Pa-
trum, seu Apostolicarum traditionum.

Circa primum articulum consensere
omnes, quod *Justificatio sit transitus a*
statu inimici, ad statum amici, filiique Dei
adoptivi: de rei natura autem dicendo, caus-
sa ipsius formalis sit charitas, seu gratia
animæ

Sæcul XVI. animæ infusa: Postea Laurentius Mazo-
A.C. 1546. chius, ex Ordine Servorum B. Virginis
 secutus est opinionem, quæ Magistro Sen-
 tentiarum tribuitur, jam a Scholis deserta,
 affirmavitque, divinam gratiam non esse
 rem nobis intimam, sed extimam S. Spiri-
 tus nobis assistentis præsentiam.

Verum nullus huic sententiæ acce-
 debat: circa secundum articulum non-
 nulli Religiosi existimabant, liberum ar-
 bitrium fungi munere causæ solum recipien-
 tis, non item agentis in opere justificationis:
 quæ sententia minus Catholica habita est.

Circa tertium articulum Patres in
 eo convenerunt, hominem justificari per
 fidem, non tanquam per integram ac proxi-
 mam causam, sed tanquam per primam
 præparationem, primamque radicem neces-
 sariam ad omnes actiones proxime utiles ad
 consequendam justitiam.

De quarto articulo Theologi respon-
 derunt: Opera ad justificationem præparantia
 ipsam justitiam promereri, per eam meriti
 rationem, quod congruum appellatur. At
 operibus post acceptam justitiam peractis,
 adeoque divina gratia informatis, redditis-
 que ob merita Christi potentioribus, cujus
 vivum membrum effectus est is, qui ea pera-
 git, omnes concedebant rationem meriti con-
 digni ad conservandam augendamque eandem
 gratiam, æternamque felicitatem conse-
 quen-

quendam. Hanc in rem multa adhuc alia Sæcul. XVI.
proferebantur. A.C. 1546.

§. XLV.

*Lutheranorum Propositiones circa
Justificationem examinandæ.*

Circa hanc quæstionem Patres tres Pallav. l. 8.
hominum status dividebant, quo- c. 4. n. 5.
rum primus erat status *Infidelis adulti*, Paul. Sarpi
qui primo respiscit, & justitiam accipit: l. 2. p. 176.
II. *Hominis, qui acceptam justitiam in se* Dupin tom.
servat: III. Hominis, qui jam lapsus il- 15. p. 29.
lam recuperat.

Postea cuncti hæreticorum errores
circa tres hosce status recensentur,
iique ad viginti quinque referebantur.
Horum primus erat: *Fides sola, omni-*
bus aliis operibus exclusis, ad salutem suffi-
cit, solaque justificat.

II. *Fides, quæ justificat, est fiducia,*
per quam creditur, peccata per Christum esse
remissa, justificatosque teneri ad firmiter cre-
dendum, sibi peccata esse remissa.

III. *Per solam fidem possumus nos ap-*
parere coram Deo, qui opera nostra nec cu-
rat, nec requirit: sola fides puros reddit,
& Eucharistiæ accipiendæ idoneos, in qua
gratiam nos accipere credendum est.

IV. *Homines, qui absque Spiritu san-*
cto honesta operantur, peccant; quod im-
pio sint corde, cum operantur: item, man-
dato

Elis. Eccles. Tom. XXXIX. F

Sæcul. XVI. datorum Dei absque fide observatio peccatum est.
 A.C 1546.

V. Vita nova optima est pœnitentia; neque est necessaria pœnitudo vitæ anteaclæ, item peccatorum actualium expiatio ad gratiam recipiendam non disponit.

VI. Nulla dispositio est necessaria ad justificationem, neque fides justificat, quia disponit, sed quia est medium, aut instrumentum, quo promissio & gratia divina apprehenditur. & accipitur.

VII. Metus gehennæ non juvat ad justitiam consequendam, sed nocet, & est peccatum, peccatoresque reddit deteriores.

VIII. Contritio, quæ ex peccatorum examinatione, recordatione, & detestatione oritur, eorum gravitate, multitudine & sæditate consideratis, item amissio æternæ beatitudinis, & perpetuæ damnationis acquisitio, reddunt hominem hypocritam, magisque peccatorem.

IX. Terrores, quibus peccatores intrinsecus a Deo consternuntur, aut extrinsecus a prædicatoribus, peccata eousque sunt, quoad a fide superentur.

X. Doctrina dispositionum evertit doctrinam fidei, & consolationem adimit conscientis.

XI. Sola fides est necessaria, alia neque præcipiuntur, neque prohibentur, neque aliud est peccatum, nisi incredulitas.

XII

XII. Qui fidem habet, is a præceptis legis est liber, neque ad salutem operibus indiget: fides enim abunde omnia largitur, ea sola præcepta omnia adimplet, neque ullum est hominis fidelis opus adeo improbum, ut possit eum accusare, aut damnare.

Sæc. XVI
A.C. 1546.

XIII. Baptizatus ob nullum peccatum salute potest excidere, nisi sit incredulus, neque ullum peccatum a gratia divina separat, præterquam incredulitas.

XIV. Fides & opera sunt inter se contraria, neque operum merita sine fidei iactura possunt doceri.

XV. Opera externa secundæ tabulæ sunt hypocrisis.

XVI. Iustificati omni culpa & pœna liberantur, neque necessaria est in hac vita, aut post mortem satisfactio, nullum itaque est purgatorium aut satisfactio, quæ pars sit pœnitentiæ.

XVII. Iustificati, etiam Dei gratia præditi, legem adimplere non possunt, aut peccata vitare, ne mortalia quidem.

XVIII. Legis obedientia in iustificatione exigua est, & ex se impura, Deoque ingrata, sed ei accepta propter fidem hominis reconciliati, dum reliquias peccatorum sibi condonari credit.

XIX. Iustus in omnibus bonis operibus etiam peccat, neque ullum opus operatur, quod non sit peccatum veniale.

Sæcul XVI.
A C. 1546.

XX. Omnia hominum etiam sanctissimorum opera sunt peccata: bona justorum opera per Dei misericordiam sunt venialia, sed secundum justitiæ divinæ rigorem mortalia.

XXI. Homo justus, sicuti merito suspicari debet opera sua esse peccata, ita debet pro certo habere, ea non imputari.

XXII. Gratia & justitia non est aliud, quam divina voluntas, neque in justificationis est justitia aliqua inhærens: nec ipsorum peccata delentur, sed remittuntur solum, & non imputantur.

XXIII. Justitia nostra non est aliud, quam imputatio Justitiæ Christi, justisque necessaria est continua justificatio, & imputatio Justitiæ Christi.

XXIV. Justificati omnes ad æqualem gratiæ gloriæque mensuram admittuntur, omnesque Christiani ex æquo cum ipsa Virgine Dei Matre justitiam participant, nec minus sancti sunt.

XXV. Opera hominis justificati beatitudinis merita non sunt, neque fiducia ulla in iis, sed in sola Dei misericordia collocanda.

§. XLVI.

Consultatio habita circa articulos de Justificatione.

Fallav. c. 4.
n. 7. & seq.

Die vigesima octava Junii quadraginta quinque Theologi convenerant, qui illos

illos viginti quinque articulos mox re-
 latos discuterent. Verum ingens erat
 circa eos opinionum varietas, præci-
 pue circa articulum de Justificatione;
 quippe solus Senensis Archiepiscopus
 totum Justificationis opus Christo ita
 adscripserat, ut hominem nihil omnino
 ad id conferre assereret, id tamen Pa-
 tribus summopere displicuit: Matera-
 nus autem Episcopus ostendit, quod
 opera ad justificationem & ad salu-
 tem conducant, simul tamen a gratia
 divina dependeant, quam doctrinam
 suam exemplo Zachæi comprobavit,
 pluresque sacræ Scripturæ textus fu-
 sius exposuit, atque ex iis demonstra-
 vit, quod sola fides ad salutem non
 sufficiat, sed insuper alii nostræ liberta-
 tis conatus, necnon Baptismi Sacra-
 mentum requirantur. Postea Luthera-
 norum errores, qui liberum arbitrium
 nullas in justificatione partes habere,
 eamque duntaxat gratiæ opus esse affir-
 mabant, strenue confutavit, eamque sen-
 tentiam confirmavit auctoritate Cælesti-
 ni Papæ ex celebri ejus ad Franciæ E-
 piscopos Epistola, necnon ex D. Au-
 gustino, ubi in Psalmum centesimum
 quadragesimum quintum commentatur.
 His subjunxit, quod Christus Dominus
 sit Vitis, nos vero simus palmites, &
 fructus ad ipsum palmitem, nec ad

Sæcul. XVI.
 A.C. 1546.

Sæcul. XVI. solam vitem referatur, ut proin homo
 A. C. 1546. fructum ferendo meritum acquirere va-
 leat.

Pallav. n. 10. In alia Congregatione Marcus Vi-
 gerius Senogalliensis Episcopus de eo-
 dem argumento differens ostendit, quod
 fides sit janua, per quam ad justifica-
 tionem acceditur, nec tamen ad me-
 tam assequendam sufficiat veram hanc
 portam ingredi, sed omnino ac indefi-
 nenter divinorum præceptorum viam
 percurrere oporteat. Verum Caven-
 sis Episcopus proluxa oratione omnia fidei
 esse attribuenda, ostendere nitebatur,
 hancque in rem asserbat, quod infusa
 fide quantocius justificatio sequatur, e-
 jusque individuae quidem comites essent
 spes, ac charitas, nullatenus vero il-
 lius causae existerent, & minus il-
 lam præcederent. Hæc opinio non mo-
 do a Patribus fuit rejecta, sed etiam ab
 Episcopo Castellimario tanquam hæ-
 retica fuit proclamata. Demum Ber-
 tanus Fanensis Episcopus sermone ad
 duas horas protracto potissimum duo
 hæc capita comprobare satagebat, ex
 quibus primum erat sequens; *Dicitur*
homo justificari per fidem, non autem a fi-
de: etenim nostra justitia non est ipsa fides,
sed eam per fidem consequimur. Alterum.
ubi Propheta dixit, quasi pannus mensura-
tus universae justitiae nostrae, ipse minime
 locu-

Ha. c. 64.

locutus est de nostris operibus, perinde quasi cuncta essent contaminata, & criminosa, quod sentiunt Lutherani; sed deploravit illius populi nequitiam, apud quem quodcumque honestum opus inspergebatur quam plurimis noxarum maculis ipsum deturpantibus: itidem ac inquinatur pannus, in quo minime quaedam particulae mundae sunt, sed undique plurimae ac maximae sordibus faede inquinatae.

His peractis Agathensis & Lancianensis Episcopi, hanc in rem ita perorabant: Homo agendo ad suam justificationem conmittitur, quoniam vocationi potius est consentire ac dissentire, & quantum ex eorum dissertationibus elicere mihi videor, tam ipsi, quam alii pro eodem sumebant active ac libere conniti. His adjecere, quod negetur ab Apostolo, justificationem haberi ex iis operibus, quae fidem antecedunt, & ab ea non pendent, quemadmodum ab ea non pendeant observationes caeremoniarum legalium, in quibus Hebraei plurimum confidebant, quos ibi Paulus alloquitur.

His subjunxit Bituntinus, ita disputans: Duo interveniunt, cum impius justitiam accipit: I. Liberatio ab injustitiae statu; II. Justitiae adeptio. Verum ille Scholasticorum principiis pressius inhærens circa hoc argumentum plures adhibuit voces obscuras, quibus

Sæc. XVI.
A.C. 1546.

Sæcul. XVI.
A. C. 1546. quæstio parum fuit dilucidata: demum vero imputativam Lutheranorum justitiam impugnavit.

Minus grata Patribus accidit Julii Contareni Bellunensis Episcopi oratio, hic enim cuncta fidei, ac Christi Domini meritis, nihil vero operibus adscribens, hæc effatus est: *Opera solum sunt fidei, ac justitiæ signa, in quibus nulla vis inest ad consequendam conservandamque justitiam: quemadmodum, ubicunque Sol est, lux itidem est, adeoque solaris lucis aspectus alicubi, indicio nobis est fructuum, quos ibidem Sol procreat; tametsi fructuum procreatio non a luce tanquam a causa proveniat, sed ab aliis qualitatibus, solis virtute procreatis, lucemque comitantibus: in supremi Judicii commemoratione mentio operum a Christo quidem fit, non quia gloriam promerentur, sed quia fidem probent, adeoque perinde est a Christo dici, sitivi & dedistis mihi bibere: ac dici: ex hujusmodi opere patuit fides vestra. Quidquid nostrorum operum efficacitati conceditur, Jesu Christi sanguinis efficacitati detrahitur.*

Hæc opinio ita exposita in quorundam Patrum memoriam revocabat suspicionem, atque objurgationes, quas Casparus Contarenius hujus Episcopi Patruus antea subierat, eo quod circa piarum actionum merita minus sanam fovisset doctrinam. Porro in sententiam peni-

penitus oppositam pro explicanda justifi- Sæcul. XVI.
A.C. 1546.
 catione abiisse videbatur Bernardus
 Diaz Calaguritanus Antistes, qui ita
 differuit: *Infidelis nullam sibi viam sternit
 per ullum opus ad promerendam vocationem,
 sed hæc merum est donum liberaliter a Deo
 impertitum. Dein, posita vocatione libe-
 rum est vocato vel obtemperare, vel ob-
 sistere. Homo etiam obtemperat, si velit,
 credit, sperat, se convertit ad Deum,
 quem agnoscit propitium cuicumque ad ipsum
 confugienti, detestatur peccata, obfirmat
 animum ad divinam legem observandam, ac
 Baptismum suscipit, in quo gratiam obti-
 net a Deo, qua infusa redditur justus: du-
 as itaque res a Deo in nobis perfici puto si-
 ne nobis, hoc est, nulla nostri arbitrii effi-
 cientia eas adjuvante, vocationem ad fru-
 gem, & justitiæ illapsam: penes nostram
 libertatem est utrumque suscipere, sed per
 opem divinam: vocatio recipitur, si ipsi ob-
 temperemus, justitia vero, si ipsi velimus
 recipere a Deo eam nobis offerente, atque
 ad eam infundendam parato, in utriusque hu-
 jusce doni usu nos una cum Deo agimus, a-
 deoque quodcunque nostrum opus honestum,
 totum est nostrum, idemque Dei totum est,
 Dei quidem quippe agentis potissimi, nostrum
 quippe causæ secundariæ. Ast ideo dicitur
 homo per fidem justificari, quod hæc ex hu-
 militate nativa nos attollat, motusque quos-
 dam supra conditionem naturæ nobis impri-
 mat,*

Sæcul. XVI. mat, efficiatque, ut a Deo respiciamur, ceu
 A.C. 1546 iter justitiæ jam ingressi.

Verum Canariensis Episcopus non modo Bellunensis, sed & Cavenfis Antistitis sententiam confutare videbatur, cum ceteris hæc affirmans: *Opera in statu naturæ, ac per generalem Dei opem peracta, nihil continere meriti seu condigni, seu congrui ad gratiam impetrandam; existimavit tamen, Deum quandoque ex sua beneficentia moveri ab illis operibus ad eam concedendam.* Ast illius sententia fuit rejecta: ceterum cum Lutherus ad propugnandos suos errores tanquam unico refugio abuteretur hisce D. Pauli verbis: *Homo justificatur per fidem*, hinc omnium cura in id tendebat, ut hic textus probe explicaretur: Equidem communis omnium Patrum sententia erat, quod fides justificet: verum quænam sit illa fides, ac qua demum ratione illa hominem reddat justum, decidere oportebat, cum sacræ Paginæ plures fidei adscribant prærogativas, quæ ei soli attribui valent, quippe nonnunquam hæc vox *fides* accipitur pro quadam promissum exsolvendi obligatione, in quo sensu D. Paulus ait ad Romanos cap. 3. v. 3. *Nunquid incredulitas illorum (Judæorum) fidem Dei evacuabit.* Præterea nonnunquam significat donum miracula operandi, ut inquit

quit idem Apostolus 1. Cor. 13. v. 2. *Sæcul. XVI.*
Etsi habuero omnem fidem, ita ut montes A. C. 1546.
transferam: nec minus aliquando sumitur
 pro conscientia juxta illud D. Pauli
 ad Rom. 14. v. 23. *Omne, quod non est*
ex fide, peccatum est. Nec raro etiam sig-
 nificat fiduciam in promissiones Dei,
 hinc ait S. Jacobus cap. 1. v. 6. *Pos-*
tulet in fide nihil hæsitans. Tandem ali-
 quoties accipitur pro firma fide, qua
 credimus omnia a Deo revelata, licet
 oculis nostris perspici nequeant. Insuper
 huic voci adhuc alii, & quidem omni-
 nino quindecim sensus attribuebantur.

§. XLVII.

Theologorum sententiæ circa justifica-
tionem per fidem.

Dominicus Soto ex Ordine Fratrum
 Prædicatorum mentem suam his
 verbis aperuit: Si fides in tot articulos
 dispescitur, tunc Lutheri Sectatoribus
 victoria ultro conceditur: *Dux enim so-*
lummodo sunt fidei acceptiones, altera, ve-
ritatem & realitatem asseverantis, sive pro-
mittentis, altera, assensum auscultantis.
Prior est in Deo, altera sola est nostra, de-
que hac intelligenda Scripturæ loca, quæ
de fide nostra loquuntur. Fidem vero pro
fiducia & confidentia accipere, non mo-
do improprium est, sed abusivum, neque D.
Paulo

Sæcul. XVI. Paulo usitatum, hinc fiduciam a spe nihil, A. C. 1546. aut parum differre assero, eoque haud dubium esse Lutheri errorem, imo hæresin, qui asserit, fidem justificantem esse fiduciam, & certitudinem in mente fidelis de remissis sibi propter Christum peccatis. Præterea addebat Soto multis applaudentibus, istiusmodi fiduciam non posse justificare, quia temeritas est & peccatum, cum nemo possit certo sibi persuadere, se esse in gratia, sed de eo ambigendum habeat. Alia ex parte assererat Catharinus, plerisque etiam ad illius opinionem accedentibus, justificationem ab ea fiducia non proficisci, justum tamen posse, imo debere pro certo statuere, se esse in gratia. Tertiam opinionem in medium attulit Andreas Vega dicens: Non est temeritas, multoque minus fides certa, sed sine peccato haberi potest persuasio Conjecturalis.

Porro cum ab hac controversia dependeret secundi articuli censura, ideo hæc ipsa opinionum varietas Synodi Patres diutinis disputationibus implicitos tenebat: Attamen cum inter omnes convenisset, quod fides justificans sit assensus rebus omnibus a Deo revelatis, aut ab Ecclesia determinatis, tanquam credi dignis, quæ charitatem nonnunquam habet comitem, interdum charitate defecta est, eam bimembrem fecerunt, unam, quæ etiam in peccatoribus reperitur,

peritur, quam scholæ vocant fidem infor- Sæcul. XVI.
mem, solitariam, otiosam, aut certe mor- A. C. 1546.
tuam, alteram in solis bonis operantem per
charitatem, eoque dictam formatam, effica-
cem, vivam: ast hic nova suborta est contro-
versa, aliis affirmantibus fidem, cui
a Scriptura tribuitur Salus, iustitia & san-
ctificatio, solam esse vivam (quæ fuit in
colloquiis Catholicorum Germaniæ opinio)
eamque includere in se rerum revelatarum cog-
nitionem, voluntatis præparationem, &
cum charitate legis totalem adimpletionem,
quo sensu commode dici non potest, solam fidem
iustificare, quia sola non est, quæ a chari-
tate informatur. In qua sententia etiam
si esset Marinarius, non probabat ta-
men, fidem informari a charitate,
eoquod apud D. Paulum non reperiatur,
sed magis illud, fidem operari per chari-
tatem: Porro alii rursus asseriebant, fi-
dem iustificantem esse fidem in genere, nec
iidem distinguebant, an viva, vel mor-
tua esset.

His Jaius Jesuita Cardinalis Augu- Pallav. l. 8.
stani Theologus hæc addebat: Hoc A. c. 4. n. 18.
postoli effatum: homo iustificatur per fi-
dem, eo collimat, ut demonstret iustifica-
tionem effici gratis, propterea quod sola fi-
des inter ea, quæ ad iustitiam conducunt,
donum sit mere gratuitum, & reliqua per fi-
dem a nobis impetrentur, adeoque per ipsam
fidem nobis tribuitur, non quod iusti simus,
sed

Sæcul. XVI
A.C. 1546.

sed quod iusti esse possimus : ceterum de se fides haud sufficit, ut liquet ex Augustini dicto ad Bonifacium, expendentis, quod in secundo capite S. Joannis habetur : Multi crediderunt in nomine ejus, ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes : Fides igitur potest persistere absque probis operibus, atque in eo statu ad Christum sibi attrahendum minime sufficit.

§. XLVIII.

Patres de recipiendis Franciæ Legatis in quadam Congregatione consultantes.

*Pallav. l. c.
6. 3. n. 1.*

His conventibus interea habitis die vigesima sexta Junii tres Regis Franciæ Legati Claudius Durfeus, Lignerius, & Danesius Tridentum venerunt: quapropter die decima tertia Junii in quodam Patrum cœtu, de debito eos recipiendi modo, necnon de loco ipsis designando agebatur. Præprimis Pæccus Cardinalis Regis pietatem commendans Synodi Legatos hortabatur, ut ejusdem Oratores omni benevolentiae genere, gratique animi signo exciperent; „haud enim, inquiebat ipse, dubito, quin illi tam ad Sessiones, quam ad Congregationes, sint admittendi, „sua-

„suaque prudentia ac doctrina Patribus
 „auxilio futuri: Porro quod ad loci præ-
 „rogativam eis concedendam spectat, il-
 „lis eandem assignare, haud opus fore
 „mihi videtur; existimo enim, nullam
 „cum Cæsareis Legatis æmulationem ex-
 „orituram, præcipue cum Romanorum
 „Regis, aliorumque Regum Oratores a
 „Synodo absint: si tamen hac super re
 „quicquam esset statuendum, aliud mihi
 „dicendum non suppetit, nisi priorem
 „Conciliorum ritum esse servandum. Ve-
 „rum Patres hanc rem Legatorum pru-
 „dentia esse committendam, unanimi
 „suffragio censuerunt.

Non deerant tamen, qui veteres
 suscitabant lites circa loci præroga-
 tivam, quam Romanorum Rex sibi com-
 petere contendebat. Hos inter præci-
 pius erat Episcopus Materanus, qui pa-
 lam profitebatur, quod omnino, si præ-
 cedentium Synodorum consuetudinem
 sequi oporteret, extra omne dubium fo-
 ret, quod Romanorum Regis Legati
 Galliarum Regis Oratores præcedant,
 cum id quoque in Concilio Lateranen-
 si observatum esset: verum huic Arma-
 canus respondit hunc in modum: „In-
 „ter Maximilianum tum Romanorum Re-
 „gem atque Ferdinandum, qui nunc hac
 „dignitate insignitus est, discrimen in-
 „tercedere videtur; quippe eo tempore
 „Ma-

Sæcul XVI.
 A.C. 1546.

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

„Maximilianus quamvis jamjam in Cæ-
sarem electus esset, nonnisi tamen Ro-
manorum Rex appellabatur, eoquod
nondum Cæsarea corona esset redimi-
tus; id tamen minime obstare poterat,
quominus cunctis juribus Imperio anne-
xis frueretur: at non eadem ratio circa
Ferdinandum versatur, eoquod nec Im-
perium, nec illius jura ejusdem pote-
stati subsint, sed adhuc dum ea Carolus
V. Cæsar obtineat. Hac super re plu-
res alii ultro citroque disceptabant, ac
quisque firmiora rationum momenta
suxæ opinioni suffragari censebat, tan-
dem vero conclusum, prudentiæ Lega-
torum, qui cuncta dissidia componere
promiserant, totam rem esse relin-
quendam (*).

§. XLIX.

(*) Qua ratione Legati Apostolici litem
composuerint, Continuator reticuit, ut æqui-
or videretur obstrepentium repugnantia: ce-
terum Cardinales Legati, ut inquit Pallavicinus
l. c. *Patres publice monuerunt, in Synodi
primordiis per sanctionem fuisse cautum, ne
cuipiam ex ulla cæremoniarum officiorumque
functione quidquam juris vel accederet, vel de-
cederet* Ceterum huic Sanctioni jam in prio-
ribus Conciliis sæpius factæ plures aliorum
Principum Oratores, aquietisse constat.

§. XLIX.

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.*Franciæ Legati de loco ipsis assignato questi.*

Verum Franciæ Oratores loci, quem *Pallav. ib.* sibi deberi contendebant, præro-^{c. 3. n. 3.}gativam in dubium vocari indignantes, non modo per Agdensem Episcopum, sed per semetipsos privatim Papæ Legatos convenerunt, palam professi, quod quantocius abire vellent, nisi eis locus tam propriæ ipsorum dignitati, quam eorum Regi, cujus vices agerent, debitus assignaretur; ambiebant autem primam a Cæsareis Legatis sedem. Ast Papæ Legati, ut eos placarent, ipsis hæc exponebant: *Potiori loco habeatis communem plausum, quam duorum triumve hæsitationem in amplissimo confesso, ex tot tamque variis ingenis, animorumque affectionibus conflato, Et ubi sua cuique erat dicendi libertas: Oratores Ferdinandi ad nullam unquam Synodi functionem venerunt, postquam Caroli Oratores accesserant, qui utriusque fratris nomine interesse possent, adeoque opus non est, litem intendere nihil de possessione certanti.*

Verum Franciæ Legati haud idcirco aquiescere videbantur, sed temporis spatium ad deliberandum sibi concedi postularunt: Interea vero Legati media

Hist. Eccles. Tom. XXXIX. G pro-

Sæcul. XVI.
A C 1546.

propofuere, quorum ope, fi fieri poffet, utrique parti fatisfieret: eapropter præprimis rem unice componi poffe ajebant, fi Romanorum Regis Legati inducerentur, ut a congressibus abftinerent, prout hucusque iis nunquam interfuerant. Aft ea res haud difficultate carebat: tandem vero ambæ litigantium partes cuncta obftacula ipfæmet submoverunt; cum enim duntaxat pacifftuderent, ac nonnifi honefta conciliationis media quæerent, hinc brevi mutuo confenfu res compofita fuit.

§. I.

*Franciæ Oratores in Synodo excepti,
ac poft Cæfaris Legatos collocati.*

Pallav. l. c.
num. 3.

Igitur cum conventio fuiſſet facta, in quadam Congregatione die octavo Julii habita Galliarum Regis Oratores ingenti pompa, ac honorum ſignis excipiebantur, jam contenti, quod a Cæſareis Legatis proximum occuparent locum, nec etiam de aliis Oratoribus tum abſentibus quicquam decerneretur. Ceterum ipſe etiam Mendoza quamvis aliis Congregationibus feбри quartana præpeditus non interfuerit, huic tamen urba itatis gratia adefſe voluit: Cunctis itaque Sedes ſuas occupantibus Franciæ Oratorum, necnon mandati
eis

eis commiffi literæ die trigesima Martii Sæcul. XVI. A.C. 1546.
 anno supra millesimum quingentesimo
 quadragesimo quinto Fontis-Bellaquei
 datæ prælegebantur, ac pro legitimis
 habebantur. In his Rex Synodi Patri-
 bus gratulabatur, professus, quod ip-
 sus interesse desideraret, se tamen ab-
 sente, regis hisce literis non minus
 plenam, ac si ipsemet præsens adesset,
 suis Oratoribus agendi, exequendi, at-
 que proponendi facultatem dedisset,
 quæcunque pro fide Christiana, Evan-
 gelicæ Doctrinæ puritate, pace, Cle-
 rique, ac ceterorum Ecclesiæ membro-
 rum emendatione necessaria judicarent.

§. LI.

*Petri Dannefi Franciæ Legati ora-
 tio ad Synodi Patres.*

Perlectis hisce literis, Petrus Danne-
 sius non minus prolixum, quam eru-
 ditum habuit sermonem, in quo præ-
 primis Gallorum Regum pietatem, at-
 que in Religionem Catholicam, Roma
 namque Ecclesiã merita exaggerabat.
 Revocavit etiam in memoriam, quod
 Gregorius magnus suis in literis Chil-
 deberto Regis Catholici cognomen at-
 tribuerit: *Huic titulo*, inquebat ipse,
*Galliæ Reges abunde satisfecerunt; quippe
 qui inter ceteros Christianos Reges præclare*

Labbe Cons. t. 14. p. 107. & seq. Pallav. l. 8. c. 3 n. 5. & seq. Sleid. comm. li. 17. p. 586.

Sæcul. XVI. A.C. 1546. *se gesserant in studio fidei universalis, ac ve-*
teris susinendæ, Regnumque Franciæ mille
annorum spatio nulla contaminatum hæresi
in fide conseruarunt, & quantum in ipsis
erat, Idololatrarum, hæreticorumque
exterorum conversionem procurarunt.
Postea figillatim merita, quæ Galli in
Romanam Ecclesiam effudissent, recen-
sens narravit, quæ Pipinus & Caro-
lus Magnus adversus Longobardos fortiter
patrassent; & quemadmodum in Synodo
Episcoporum ab Hadriano I. huic delatum
fit, & creandi Pontificis, & Episcoporum
sue ditionis tum approbandorum, tum, post
præstitum ab illis Sacramentum fidelitatis,
inaugurandorum arbitrium. Et quamvis
filius ejus Ludovicus Pius prærogativa cre-
andi Pontificis non ita multo post cesserit,
amicitiæ tamen, quæ sibi cum Sede Aposto-
lica intercesserat, testificandæ ergo, Lega-
tos ad se ea gratia mandari voluit, eamque
officiorum vicissitudinem diligenter cultam diu
continuavit: ejus enim amicitia fiducia Ro-
manos Pontifices asperis temporibus, sive
per hostilem impetum sede sua ejectos, sive
seditione consternatos, ad illud Regnum tan-
quam portum tutissimum confugisse constat.
Neque dictu facile est, quot se periculis Gal-
li exposuerint, vel ad Christiani Imperii fi-
nes latius protendendos, vel ad ea recupe-
randa, quæ Barbari invaserant, vel ad
Pontifices dignitati restituendos, aut pericu-
lis

lis liberandos. His decessoribus oriundus Sæcul. XVI.
 Franciscus I. pari pietate, regni sui initio, A.C. 1546.
 post victoriam Mediolanensem, profectus est
 Bononiam ad Leonem X. ob amicitiam cum
 eo stabiliendam, quam cum Hadriano VI.
 Clemente VII. & cum Paulo III. nunc Pon-
 tifice continuavit, quorum Pontificatu vigin-
 ti sex annorum spatio, licet in diversis Re-
 gionibus de rebus fidei multæ, magnæque
 extiterint controversiæ, ille tamen diligen-
 tissime cavet intra suos fines, ne qua fieret
 in vulgata Ecclesiæ consuetudine immutatio,
 sed penes Ecclesiam publicum totius rei judi-
 cium esset. Et quamquam natura sua sit
 clementissimus & mitissimus, neque sangui-
 nis sitiens, hic tamen severitatem adhibuit,
 gravioraque edicta sanxit, & tum sua diligen-
 tia, tum Judicium sollicitudine, & vigilan-
 tia id consecutus est, ut in tanta tempestate,
 jactationeque, quæ multas civitates & reg-
 na ab ipsis fundamentis labefecit, nobilissi-
 mum illud Regnum Ecclesiæ bono paccatum
 permanserit, pristina doctrina, ritibus, &
 moribus servatis, ut de eo Regno Synodus
 libere statuere possit, quod verum putet, &
 Reipublicæ Christianæ conducibile. Præ-
 terea Rex satis jam perspexit, quantopere
 orbi Christiano conducatur, Episcopum Ro-
 manum pro capite agnoscere, adeo ut bonis
 conditionibus sollicitatus ad exemplum ab
 alio Principe editum sequendum, ab insitu-
 to dimoveri non potuerit, quin potius sua
cum

Sæcul. XVI. cum incommodo finitimorum amicitiaë nun-
 tium remittere decrevisset. A.C. 1546. Indictione nuper Con-
 cilio, delegit aliquot e suis Episcopis, ac
 illico eos eo decrevit, deinde cum confessibus
 aliquot habitis, serio rem agi, & Synodi
 auctoritatem decretis etiam factis stabilitam
 comperisset, mihi, ut huc contenderem, &
 negotium, qua possem, solertia promove-
 rem, in mandatis dedit. Petit igitur, ut
 Patres semel in universum constituent,
 publiceque proponant, quid ab omnibus Chri-
 stianis ubique gentium in Religione sequen-
 dum sit, & credendum, dein ut ad sacro-
 rum Canonum normam Ecclesiasticam disci-
 plinam instituant, si id faciant, tum Rex
 Christianissimus curabit ea, quæ illi præscri-
 bent, per omnem Galliam accurate ut ser-
 ventur, decretisque Concilii sua ope ac pa-
 trocinio aderit. Ad hæc, prosequeretur
 Orator, cum Galliarum Regum tot tan-
 taque extent in Ecclesiam Romanam merita,
 æquum est, ne ex Privilegiis a Patribus &
 summis Pontificibus olim concessis, quorum
 possessionem omnes Galliaë Reges a Ludo-
 vico pio habuerunt, quicquam mutetur, aut
 imminuatur, ut Gallicanis item Ecclesiis,
 quarum ipse gerit tutelam, sua jura, pri-
 vilegia & immunitates confirmantur, quo
 nomine Galli omnes agnoscent se Concilio
 tantopere devinctos, ut beneficium ita col-
 latum Patribus nunquam sit pœnitendum.

§. LII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1546.*Primi Legati Apostolici responsum ad Gallici Oratoris sermonem.*

Ad hæc Legatorum primus hanc in *Pallav. c. 3.*
sententiam peroravit: *Res a Chri- n. 10.*
stianissimis Regibus præclare gestæ pro Re-
ligione, atque Sede Apostolica, quamvis
per se celeberrimæ, nunquam tamen absque
novo sensu voluptatis commemorari possunt:
id vero tunc peculiariter experti sunt Pa-
tres in earum commemoratione, quas op-
portune adeo, concinneque Gallicus Orator
exposuerat. Regium Legationis mandatum
suscepimus prout de jure, sic namque etiam
Cæsareum acceptum fuerat: ipsos vero Ora-
tores excipimus, quo par erat, benevolen-
tiæ studio. Gratias Regi reverenter persol-
vimus, quod tam pio tamque parato sit a-
nimo, ac præsertim, quod viros adeo exi-
mios delegerit, qui sua vice ibi fungantur:
Sacer hic Cætus sedulo curabit, tum ut
Gallicana Privilegia integra persistant, qua-
tenus Reipublicæ Christianæ bono congruit,
quod nosset Religiosissimo illi Principi maxi-
me cordi esse, tum ut quacunque alia ratio-
ne Regi gratificaretur, unde sua tam pro-
na in Concilium & Ecclesiam voluntate in
dies magis ac magis ipse gauderet. Porro
hæc adeo honorifica, adeoque benevola tan-
ti Regis significatio ingenti plane lætitiâ
Conventum perfudit.

G 4

§. LIII.

Sæcul. XVI
A. C. 1546.

§. LIII.

Examen quæstionis de piis actionibus.

Postquam Franciæ Oratores fuerant admissi, tertia post die decima quinta Julii Theologi habito conventu articulos de piis operibus examinabant, eorumque tria distinguebant genera, quorum prima fidem, omnemque gratiam præcedunt, quædam vero post primæ gratiæ receptionem fiunt, & tandem alia post obtentam justificationem exercentur. Porro circa priores piæ actiones quærebatur, utrum omnes illæ sint peccata: potissimum vero dubium indoriebatur, quod dentur quædam actiones adiaphoræ, in quibus nec bonitas, nec malitia reperitur: aliæ vero sint, quæ moralem habent bonitatem, istisque accensentur infidelium actiones. Hanc in rem Ambrosius Catharinus istam propugnavit sententiam: *Homo absque singulari Dei ope nullam actionem potest peragere, quæ vere bona dici potest, ne moraliter quidem, sed peccatum solummodo, ideo omnia opera infidelium, qui a Deo non excitantur ad credendum, & omnes actiones fidelium, sed peccatorum, antequam a Deo excitantur ad conversionem, utcumque honestæ, imo heroicæ videantur, vera sunt peccata, Quod si quis eas magni facit, is* in

in genere eas spectat, & externam modo Sæcul. XVI.
speciem intuetur; at qui singulares uniuscu- A.C. 1546.
jusque actionis circumstantias introspexerit,
earum pravitatem facile deprehendet, itaque
hoc nomine Lutherus minime damnandus,
etiamsi articuli ii censuram meritissimo de-
ponant, quatenus opera complectuntur gra-
tiam prævenientem consequentia, quæ ad ju-
stificationem sunt præparatoria; cujusmodi
sunt peccati odium, & detestatio, metus in-
ferni & alia conscientie terriculamenta.
Porro hanc Catharini opinionem Domi-
nicus Soto vehementer impugnavit,
eamque tanquam hæreticam perstrinxit.
Cetera cum de iis, quæ ad justificatio-
nem disponunt, ageretur, communis
omnium Theologorum erat hæc senten-
tia: Post excitationem divinam nascitur ti-
mor, aliæque considerationes ejus perversi-
tatis, quæ est in peccato: itaque Lutheri
opinio, quæ terrorem hunc censet malum,
damnatur ut hæretica: Deus enim hortat-
ur peccatorem, eumque ad ejusmodi cogi-
tationes impellit; cum tamen impium sit di-
cere, Deum movere ad peccatum. Præte-
rea officium est prædicatoris, hujusmodi me-
diis peccatoris animum perterrefacere, ac
consternare. Jam cum a statu peccati ad
statum gratiæ per hæc media perveniatur,
permirum eis videbatur, a peccato ad justi-
tiam transiri non posse, nisi per alterius
peccati viam. Obstabat tamen nodus in con-

Sæc. XVI.
A.C. 1546

trarium, quem non erat facile dissolvere, nempe quod bona opera possent consistere cum gratia, timor autem hic, aliæque præparationes cum ea neutiquam consistere, adeoque in malis esse valeant. Ad hæc Antonius Marinarus Carmelita sic dixit: *Altercatio hoc modo est de verbis; sicut enim a frigore penetrabili ad calorem fit transitus per gradum frigoris remissioris, qui nec est calor, neque novum frigus, sed idem frigus imminutum: sic a peccato ad justitiam transitur per terrores & contritiones, quæ neque opera bona sunt, neque nova peccata, sed vetera tantum extenuata.* Sed cum huic sententiæ ceteri fere omnes Theologi contradicerent, palinodiam cecinit.

Pariter circa opera, quæ in statu gratiæ fiunt, nullum inter Patres erat dissidium; omnibus enim ea erat sententia, quod hæc opera sint perfecta, & vitæ æternæ meritotia, adeoque impia sit & sacrilega Lutheri opinio, qui omnia censet esse peccata: cumque blasphemia non vacet, qui dixerit beatam Virginem vel minimum veniale peccatum admisisse, certe is, qui in omni actione eam peccasse dicit, vocem emittit Christianis auribus indignam, atque ipse propter tantas blasphemias dignus est, cui tellus ima dehiscat, & quem Tartarus ipse absorbeat.

§. LIV.

§. LIV.

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

Synodi translatio proposita.

Die decima tertia ejusdem mensis Julii generalis habebatur Congregatio, in qua Montanus Cardinalis proposuit, quod de aliis duobus justificationis capitibus conjunctim ageretur: *Eoquod*, inquiebat ille, *impensa jam cura in primo discutiendo ad duo proxima magnam lucem afferret, & præstitutus Sessioni dies festinam rerum digestionem postulare.* Tum admoniti Patres, ut in futuro Conventu quatuor Prælatos designarent, qui Decretum circa primum de justificatione articulum jamjam discussum conficerent. Habita est ergo die decima quinta Julii præfata Congregatio, in qua arcanis suffragiis selecti sunt Armacanus Archiepiscopus, & Acaensis, Bituntinus, & Bellocastrensis Episcopi, qui hoc Decretum eliminarent.

Cum igitur Patres suam sententiam circa duos hosce articulos ibidem examinandos edicere rogarentur, Pacecus Cardinalis pluresque Archiepiscopi hac super re mentem suam aperiebant, mox tamen ordine suo sic subjunxit Corcyrensis Archiepiscopus: *haud paratus ad eam rem adveni, arbitratus, potius agendum*

Pallav. l. 8.

c. 5. n. 1. & 2.

*Diav. Mas-
sarelli 13. &
14. Jul. an.
1546. & 23.
Junii.*

*Pallav. l. 8.
n. 2.*

de

Sæcul. XVI
A.C. 1546

de professione ex Tridentina urbe, in qua Patres tanto cum discrimine versantur propter imminens bellum, hostiumque propinquitatem: quod autem in me est, nolo iterum in crucem agi. In eadem ferme verba Senensis prorupit, simulque periculum exaggeravit ex fama victoriæ Ducis Wirtembergensis, qui cum ingenti exercitu capta jam prope Oenipontem clusia, progredi nitebatur. Materanus se quidem discriminis conscium, non vero ab eo perterritum esse ostendit, paratumque se dixit ad eandem cum Legatis aleam subeundam, mortemque, si opus foret, cum ipsis oppetendum.

Prætensum hoc discrimen Synodo impendens jamjam turbabat Legatos, quapropter illi, antequam ipsis foedus Cæsaris cum Papa initum innotesceret, hæc ad Cardinalem Farnesium perscripserunt; neque decorum, neque tutum „nobis est, diutius Tridenti hæerere, ubi „militibus circumdati haud temere time- „re debemus, ne eorum violentiæ, ac „furori exponamur, præcipue, cum ne- „quaquam Tridentinis vires suppetant „ad repellendos hostium undique concur- „rentium impetus: quinimo ab amico „etiam Cæsaris milite cavendum est, po- „tissimum ob annonæ & commeatus in- „opiam, hinc qualiscunque demum sit „rerum facies, in præsentis rerum vicissi- tudine

tudine nihil opportunius videtur, quam Synodum transferre. Verum cum huic consilio quosdam Præsules Carolo Cæsari addictos abs dubio obluēturos, ac Tridenti permanfuros metuerent, hinc pariter Farnesium monebant, ut ad primum belli fragorem, cum Tridenti duntaxat ejusmodi Præsules perstituri essent, per diploma Pontificis consuleret, ne iis Patribus liceret, quicquam auctoritate sua statuere, Legatis ceterisque Episcopis absentibus. His publicis privatas quoque literas adjecerunt, in quibus tamen ferme eadem perscripserunt. Verum hæc Legatorum anxietas displicuit Pontifici, qui nec Cæsarem sibi foedere junctum offendere, nec Synodum durante bello ad illius defensionem suscepto dissolvere voluit: quapropter datis literis Tridento discedere, eis omnino inhibuit; quinimo ipse etiam Farnesius Cardinali S. Crucis hæc significavit: „Pontifex majus animi robur in vobis desiderabat, proinde potius ex armorum apparatu majorem constantiam exhibere oportet; quippe hæc arma ad contumaces Concilio subjiciendos parata sunt, præcipue, cum Tridento discedere perinde sit, ac militibus Pontificis stipendia merentibus diffidentiam inspirare, ac præpedire, ne suis Belliducibus obtemperent.

§. LV.

Sæcul. XVI.

A.C. 1546.

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

§. LV.

Synodi translatio a Legatis desiderata.

Pallav. n. 3.

Hoc Papæ mandatum, quo Legati Tridento recedere prohibebantur, ipsis permolestum accidit, hancque in rem Marcellus Cervinus die sexta Julii datis ad Massæum literis eundem rogavit, quatenus Pontificem induceret, ut se cum perpenderet, quænam Cæsaris armati consilia forent, an non merito timendum esset, ne Synodo leges dictare, resque ibidem pertractandas, necnon agendi & decidendi rationes præscribere tentaret. Hæc omnia Massæus Pontifici exposuit, qui tamen nequaquam mutata animi sui sententia nullatenus Sessionem differre, sed præfixa die insuperhabitis Legatorum rationibus celebrari præcepit: Tridentinos tamen adeo ingens inceserat timor, ut plures Episcopi fugam meditarentur, quos tamen Mendoza & Farnesius retinuerant.

§. LVI.

Acrior contentio inter Cavensem & Chironensem Episcopos.

In alio conventu die decima septima Junii celebrato propositi examinabantur

tur articuli, circa quos sat vehemens ^{Sæcul. XVI.}
 exorta est contentio inter Cavensem & ^{A.C. 1546.}
 Chironensem Episcopos: nam ille prior
 haud dissimulare poterat indignationem,
 quam exinde conceperat, quod Patres
 nuperam ejus dissertationem minus be-
 nigne excepissent, cum in cœtu die sex-
 ta Julii habito justificationem soli fidei
 attribuere niteretur, hinc rursus idem
 argumentum pertractans adeo non er-
 rorem suum revocavit, ut etiam eundem
 novis rationibus confirmare auderet, ac
 plura Sanctorum Patrum volumina af-
 ferri juberet, ex quibus plura prælegit
 testimonia, iisque suam opinionem ful-
 ciri falso existimavit, totque animad-
 versiones subjunxit, ut ad eas excipien-
 das totum tempus infumeretur, atque
 in hoc congressu nullum aliud argumen-
 tum pertractari posset: Dimisso autem
 conventu, antequam Patres ex concla-
 vi discederent, Dionysius Zannatinus
 Græcus ex Ordine Fratrum Minorum
 Episcopus Chironensis, cum Britinori-
 ensis ac Reatinum Præsules privatim
 alloqueretur, dixit: in futuro conven-
 tu, quicquid Cavenensis asseruit, confu-
 tabo; nec enim ejus inscitiam vel pro-
 tertiviam excusare valeo. Tum Caven-
 sis, qui sermonem de se a Zannetino
 factum subobscurè intellexerat, propius
 accedens sciscitabatur, quam adversus
 eum

Sæcul. XVI. eum querendi causam haberet? cui
 A.C. 1546. Chironensis mox durius respondit: *E-*
nimvero mi Præsul, tuam tibi vel inscitiam
vel proterviam excusare non licet.

Hoc responsum Cavensis Episcopus adeo iniquo tulit animo, ut rationis, Religionis ac Reverentiæ tam celebri confessui debitæ immemor verbis longe asperioribus, ac Chironensis protulerat, eundem exciperet, eoque temeritatis deveniret, ut illum etiam verberibus exciperet. Hujus rei indignitas Synodi Præsides, Patresque tantopere commovit, ut conventum haberi præciperent, in quo hujus altercationis negotium discuteretur.

§. LVII.

Patrum deliberatio circa pœnam Cavensi Episcopo infligendam.

Pallav. n. 2.
 § 3.

Habebatur hic conventus eadem die, horisque pomeridianis, non tamen eidem intererant Principum Oratores, excepto Mendoza, qui tamen re nondum in deliberationem vocata discessit, simulque veniam petiit Venetias abeundi, ut ibidem Cæsaris nomine quoddam negotium pertractaret. Eo absente Præses Congregatos ita alloquebatur: „Cavensis Episcopi delictum omnibus est compertum, proinde illud nec minue-

minuere, nec augere volo, sed duntaxat, rogo, ut Patres suam ferant sententiam, ex qua postmodum Præsides procedere possunt: Excipiebantur ergo cunctorum sententiæ, quæ tamen admodum diversæ erant; quidam enim clementiam, alii vero pœnæ severitatem esse adhibendam censebant, & plures reum hunc Episcopum honesto in loco retinendum, eique exeundi libertatem adimendam arbitrabantur. Pronuntiabant alii, totum negotium summo Pontifici committendum, eo quod alia majoris longe momenti negotia directe ad finem, ob quem convocati essent, collimantia a Synodo essent pertractanda.

§. LVIII.

Sententia in hunc Episcopum a Legatis pronuntiata.

Auditis hisce variis sententiis Legati *Pallav. c. 6.* aliquantulum inter se submissa voce *n. 6.* conferentes, quæstionem de hujus Episcopi facto esse instituendam pronuntiarunt, interea vero ipsum apud Franciscanos in S. Bernardini Monasterio detinendum, ejusque consortium omnino esse evitandum decreverunt, eo quod ob vim Chironensi Episcopo illatam anathemate irretitus esset. Post hæc *Masse-*
Hist. Eccles. Tom. XXXIX. H rello,

Sæcul. XVI.
 A.C. 1546.

Sæc. XVI. A.C. 1546. rellō, qui Patribus a secretis erat, negotium dabant, ut testibus ad examen vocatis iudicii acta instrueret: Interea vero summus Pontifex rem edoctus intime doluit, datisque ad Legatos literis præcepit, ut severitate uterentur: Igitur re die vigesima octava Julii decisa Episcopus Cavenſis ex Synodi sententia perpetuo a Synodo, ac Tridentina urbe exulare, & Pontificem supplex adire jubebatur, ut ab anathemate, quod incurrerat, abſolveretur. Aſt Pontifex hujus ſententiæ rigorem lenitate temperaturus, Legatis ſuis facultatem conceſſit, vi cujus ipſi eundem abſolvere, atque ad ſuam ſedem, ſi ipſis bene viſum fuerit, remittere poſſent. Demum Cavenſi Jacobus Jacobellus Bellocastrenſis Episcopus fuit ſubrogatus, ut ejus nomine deinceps Concilii negotia procuraret.

§. LIX.

Sessionis VI. prorogatio in Concilio propoſita.

Pallav. c. 7. *no. 2.* Cum vero dies vigesima nona Julii ad celebrandam Sessionem sextam præfixa appropinquaret, necdum tamen dogmata ibidem decidenda satis fuissent discussa, hinc Legatorum primus in quodam cœtu die vigesima octava ejusdem men-

mensis habito hanc Sessionem omnino ^{Sæcul. XVI.} prorogandam exposuit, eo potissimum ^{A.C. 1546.} nomine, eo quod circa postremos duos dogmatis articulos, necnon circa Episcoporum residentiam plura adhuc definienda superessent, quam in rem Præses sequens dedit consilium: *Quamquam argumenti difficultas, Et amplitudo obstitissent, ne omnino per id temporis cuncta absolverentur, Et quæ Sessioni paranda erant, perficerentur; ea tamen poterit haberi omiſſa rituum pompa, cujusmodi sunt solenne Sacrum Et Concio, convocatis autem postridie mane Patribus tandem deliberari potest de præparatis Decretis, quæ tria capita jam proposita, Et per privatos, publicosque Conventus expensa completebantur. Duplici ex causa ad id me promum ostendo: Primo, quod per literas excepissem, Pontificem a prorogatione plurimum abhorrere: deinde, quod Roma pariter a viris probatissimis significaretur, designatam Decretorum formam planissime ibi probari: unde eo securius eam stabiliendam esse censeo. Porro ex tribus Papæ Legatis solus Cardinalis Montanus huic Congregationi intererat: Marcellus enim Cervinus absens fuit, Polus autem adversa valetudine pressus Patavium secesserat, cumque pristinam sanitatem ibidem recuperare desperaret, abdicato Legati munere Romam reversus est.*

Sæc. XVI.
A.C. 1546.

§. LX.

Plurium sententia de proroganda Sessione contra Legatorum opinionem.

Pallav. n. 3.

Huic Montani Cardinalis sententiæ de non proroganda Sessione plures refragabantur, atque inter ceteros Cardinalis Pacecus hæc exposuit: *Multa, quæ definienda sunt, nondum omnino Patrum trutina in Conventibus expensa fuerant, nec possunt unico matutino cætu pro dignitate perpendi: satius itaque videtur, si Sessio ad propinquum certum diem differretur.* Hanc sententiam communi ferme suffragio amplectebantur Patres: Asturiensis vero, ac Pacensis addidere: *Quoniam statutum fuerat, quod conjunctim de fide, ac moribus pertractetur, haud intelligimus, quomodo Sessio celebrari possit, ubi de moribus tantum ac vix leviter agatur.* His Montanus reposuit: *Ex animi mei consilio manus statim postea imponenda est morum restitutioni, ne Synodi promissis derogetur: si tamen animadverterem Patrum vota unanimi calculo ad prorogationem inclinari, neutiquam obsistam: Solum itaque superest examinandum, certone, an incerto die Sessio habenda: quod incerta dies sit relinquenda, mihi videtur; nam si certa præfigeretur, vel si Patres propinquam eligerent, & res, præsertim ad emendatio-*

dationem spectantes, nondum adeo discussæ forent, ut discrimen vitarent, ne forte ad aliam prolationem cogerentur, non sine auctoritatis constantiæque præjudicio: conducibilius ergo mihi videtur, in arbitrio Patrum reponere, ut, qua liberet die, Sessionem indicerent.

Sæc. XVI.
A.C. 1546.

Verum his Pacecus denuo respondit: Semper ad id usque tempus fuit certa dies Sessionibus præscripta. Consuetudinis hujus mutatio maximi momenti res est; præcipue vero, ubi peculiaris subest ratio illius retinendæ. Etenim quod est incertum, quandoam futurum sit, potius concipitur ab hominibus, quasi incertum, an sit futurum: concipitur quidem certe ceu remotum, adeoque ante mentis oculos ea tenuis rei species obversatur, quam remotiora prætendunt. Quam ob rem, si ad incertum diem Sessio indiceretur, id plane, quod evitabatur, eveniret, Episcopos videlicet Tridento dilapsuros. Idem sensere Aquensis & Turritanus Præfules.

§. LXI.

Contentio circa Synodi translationem.

Corcyrensis Episcopus in iis, quæ Pallav. c. 7. paulo ante insinuaverat, obfirmatus iterum exposuit, quod sibi opportunius videretur de discessu, vel translatione consilium habere, ne dum ipsi de justitia,

H 3

qua

Sæcul. XVI
A.C. 1546

qua renascitur impius, agitent, incauti ab impiis opprimerentur. Pavecus satis gnarus, quam id permolestum Cæsari foret, sibi temperare non potuit, quin Præsulem objurgaret, dicens: cur de re, ob quam a Præside non rogatus fuisti, sententiam dicis? unde aliqua inter eos exorta est altercatio.

Post hæc Materanus Archipræsul sententiam Corcyrensis pluribus confitmans ita peroravit: Tridenti persistere perinde est, ac Deum tentare & universam Ecclesiam palmari dedecori exponere. Perspicuum mihi est, licere Patribus inde secedere: tanti siquidem discriminis metu absentes absque dubio excusabuntur, ne accederent: præsentibus igitur, ne persisterent: alioqui pejoris forent conditionis obsequentes, quam contumaces. Insuper percipere haud valeo, quo pacto contingeret, aliquos ibi esse, qui Concilium id temporis Tridenti velent, cujus Concilii auctoritas in Patrum frequentia potissimum sita est: ea vero in dies minuatur. Hinc dubium mihi non est, quin Cæsar, si rem pernoisset, primus omnium translationem alio comprobaret.

Has rationes Cardinalis Pavecus confutavit, pluresque Episcopos ad suam sententiam pertraxit, unde tempus vanis disputationibus terebatur, resque decidi haud poterat, adeo, ut Legatus totum negotium re cum suis focis communi-

municata ad alium conventum remitte-
 re cogeretur: suggestit tamen eidem
 Pacecus, quod certa dies, antequam
 Patres discederent, pro futura Sessione
 præscribenda foret, ne Concilium om-
 nino dissolutum credatur, cum tamen
 id nullatenus intendat Cæsar, qui Sy-
 nodum nec interrumpi, nec alio trans-
 ferri vult. Huic Præses respondit: pe-
 riculum dissolvendæ Synodi non depen-
 det ex incerto Sessionis die, sed ex cir-
 cumstrepentium armorum metu, quam
 ob rem in proxima Congregatione deli-
 berandum ajebat. His dictis dimisso-
 que conventu ad sua quisque reversus
 est: biduo autem post evoluto, seu die
 trigesima Julii acerbius recrudit cer-
 tamen, ac contentio circa Sessionis pro-
 rogationem, cum præcipue nec Mon-
 tanus nec Tridentinus Cardinales ce-
 dere vellent, hinc rursus infecta re con-
 ventus solvebatur.

Sæcul. XVI
 A C. 1546.

§. LXII.

*Annus sacer Romæ a Papa pro-
 mulgatus.*

Die prima Augusti Romæ anno sacro
 initium dabatur, postquam hanc
 in rem jamjam Bulla die decima quin-
 ta Julii condita die vigesima quinta e-
 jusdem mensis fuit promulgata. In ea

H 4

sum-

Sæc. XVI.
A.C. 1546.

summus Pontifex fusiori fermone enarrat mala, quibus Ecclesia ob hæresin affligitur, postea in eodem diplomate ita effatur: *Equidem ad hæreses extirpandas Concilium inchoavimus: hæretici tamen magna animorum obstinatione & pertinacia illud contemnunt, atque recusant, ut huic igitur malo remedium afferamus, fœdus cum Cæsare pepigimus, illis ad Ecclesiæ obsequium vi, armisque adigendis. Hortamur itaque omnes in universum, ut precibus atque jejuniis, delictorum confessione, ac Cæne Dominicæ perceptione Deum reddant propitium, quo videlicet exoratus hoc bellum secundare dignetur, ad Nominis sui gloriam, Ecclesiæ decus, & hæreses profligandas susceptum.*

Propter sacri hujus anni solemnia a prima Augusti die usque ad duodecimam ejusdem mensis nulla habebatur Congregatio, ut eo liberius singuli pietatis exercitiis vacare possent.

§. LXIII.

Cervini Cardinalis molimina pro transferendo Concilio.

Interea Legati, cum omnia in nupero Conventu gesta perpenderent, atque hostilis exercitus timor indies augeretur, magis magisque in suo Synodum transferendi proposito firmabantur, hos inter

inter Marcellus Cervinus præ ceteris Cardinalibus magis moderatus, minusque suspectus, atque dissidiorum & contentionis habitæ minime conscius, Madrutium ad suas partes pertrahere, eumque eo adigere satagit, ut is Cæsarem ad comprobendam Synodi translationem induceret: Ut vero molimini optatus adspiraret successus, opera utebatur Bertani Fanensis Episcopi, qui intima familiaritate huic Cardinali junctus erat. Huic igitur præcipue hæc exposuit: *Quamvis nimis justa amovendæ Synodi causa Pontifici esset data, satius tamen foret, si pacate, & quæ Christianos decet, inter se concordia rem agerent, atque una secum suam pariter operam Madrucius conjungeret ad Cæsarem cohortandum. Ea Sedes experimento cognoscitur Concilio minime opportuna, non solum ob inopiam soli tot hominibus alendis impar, & ob cæli asperitatem plerisque noxiam, sed recenter ob strepitus ac pericula militaria, atque ob hæresis luem incolas corrumpentem; inter quos rustici, ne in suum quidem Pastorem ac Principem insolescerent, formidantur, unde fieri non potest, ut ibi diutius violenter detinerentur Episcopi: adeoque si amplius translationi obsisteretur, perinde erit, ac cuncta præcipitanter in dissolutionem agere: ea Synodus morbo laborat lethali, nec nisi per aeris mutationem sanabili.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

Pall. l. 8. c. 8.
n. 1. & seq.

fol. 1. 1. 1.
8. 1. 1.

Sæcul. XVI. *bili.* Ne vero apud Germanos Pontificis
 A.C. 1546. *urbes suspicionem præferant, poterit de-*
duci Synodus Genas, aut Lucam, civitates
liberas, & Carolo addictas.

§. LXIV.

Cæsaris oppositio per Achillem a Le-
gatis Romam missum Pontifici
nuntiata.

Pallav. l. c.
n. 2. & 3.

Bertanus Fanensis Episcopus hoc Cer-
 vini consilium arripuit, moxque
 Madrutium Cardinalem ad sollicitan-
 dum Cæsarem impulit, postea vero ip-
 sus fuit selectus, ut Legatorum nomi-
 ne Imperatorem adiret; hi autem eo-
 dem tempore Romam decreverunt Achil-
 lem de Grassis Synodi Advocatum, ac
 familiarem Cardinalis S. Floræ, qui
 absentis Farnesii Papæ Nepotis munia
 obibat. Verum Bertanus ad itineris
 initium obviam habuit Virum, qui Ma-
 drutio tum ab Epistolis erat, hæcque
 Episcopo nuntiabat: *Cum ex Oratorum*
litteris cognovisset Cæsar transferendæ Sy-
nodi consilia, vehementer commotus in mi-
nas prorupit, atque ubi hoc fieret, absque
mora se cum Lutheranis concordaturum, su-
isque prospecturum emolumentis minatus
est. His perceptis Bertanus adstipulan-
te etiam præfato Secretario, fatius fo-
 re

re censuit, quod ad sua rediret, quam se acerbioris repulsæ discrimini exponeret. Itaque Tridentum reversus altera post discessum die ibidem advenit, unde etiam Achilles de Grassis ex itinere suo revocatus fuit, sed eodem ferme tempore Romam missus acceptum de Cæsaris voluntate nuntium perierit, illumque transferendæ Synodo obluctantem significare jubebatur. Paulo post Fanensis Episcopus pariter Romam fuit ablegatus, ut de re gesta Papam certior redderet, eique exponeret, quod ad placandos Germanorum animos plurimum conferret, si per unum adhuc vel duos menses Tridenti Concilium retineretur: Inde enim sperabat Madru-
tius, fore, ut ipsemet securus esset a tumultibus, quos hæc translatio per ipsius imprudentiam, ac animi vehementiam excitata suscitare posset.

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

§. LXV.

Papæ Epistola ad Legatos circa Synodi translationem.

Priusquam hi Deputati Romam venirent, Tridentum allatæ sunt Pontificis literæ, quibus ob allegatas Legatorum rationes, & hostilis exercitus terrorem ad vicina loca effusum, ad Synodi translationem animum flexit, suis-

Pallav. ib.

Sæcul. XVI. A.C. 1546. suisque Legatis diploma ea de re trans-
 misit, adjecta tamen sequenti conditio-
 ne: *Si plerique Patrum ita vellent, ac pos-
 scerent. Legatis pariter injunxit, ut si
 id eveniret, Lucam proponerent; cum hæc
 urbs extra Pontificiam ditionem sita & Cæ-
 sari addicta esset, adeoque hujusmodi, ut
 nullam merito suspicionem præferret. Im-
 perabat simul Papa, ut cuncta prius Cæ-
 sari communicarentur, atque sine ejus con-
 silio nihil hac super re decideretur, denique
 Legatis suis significavit, optare se quidem,
 ut Patres, antequam locus pro Synodo mu-
 taretur, Justificationis saltem Decretum,
 & alterum de Episcoporum residentia stabi-
 lirent, ne otiosa Tridenti Synodus dici pos-
 set: verumtamen in eo quoque Legati non
 tam, quod optaret, quam quod effici posset,
 prosequerentur.*

At Farnesius Cardinalis, qui alla-
 tis Papæ jussis Tridento nondum disces-
 serat, hoc diploma Cæsareis exhibuit
 Prælati, qui vehementer commoti,
 sese hisce mandatis opposuerunt, tan-
 tumque impetrarunt, ne quicquam cir-
 ca translationem usque ad nova Ponti-
 ficis jussa tentaretur. Nihilominus Mar-
 cellus Cervinus Legatus Apostolicus
 omnem movit lapidem, ut Farnesio
 persuaderet, ne a proposito consilio de-
 sisteret, sed potius toto studio rem bene
 cæptam prosequeretur, hancque in rem
 eidem

eidem funestam exposuit omnium Pa-
 trum conditionem, eo quod haud teme-
 re vereri cogantur, ne tanquam man-
 cipia in captivitatem abstrahantur, si
 Protestantium arma sint prævalitura:
 Urgenda igitur, prosequeretur Cardi-
 nalis, hæc Synodi translatio: *Ita enim
 Sedis Apostolicæ dignitas, ita libertas Con-
 cilio, ita Episcoporum securitas, ita disso-
 lutionis periculum, ita columen legitimæ
 auctoritatis postulant. Si Germanica ex-
 peditio prospere cederet, spesque affulgeret,
 populos, qui desciverant, Concilium susce-
 pturos, possent tunc Patres & decenter, &
 cum fructu, & sine periculo Tridentum
 regredi.*

Perceptis hisce rationibus Farnesius
 Tridento profectus est.

§. LXVI.

*Farnesius Translationi a Legatis pro-
 ponendæ oblitatus.*

Rebus ita dispositis Legati die duode-
 cima mensis Augusti generalem ha-
 bebant conventum suffragia collecturi,
 utrum Synodi translatio Patribus pro-
 baretur, ac demum quænam alia urbs
 seligeretur, quoque pacto, si Pontifex
 suis insisteret mandatis, cuncta ad di-
 scessum præsto forent. Verum Legati
 literas a Farnesio Cardinale datas acce-
 pere,

Sæcul. XVI.
 A.C. 1546.

*Pall. c. 8. n. 4.
 Diar. Mas-
 sar. 12 Aug.
 ex lit. Legat.
 eadem die ad
 Card. S. Flo-
 ra.*

Sæcul. XVI
A.C. 546.

pere, quibus injunctum, ut hoc negotium tantisper differrent, nec de eo agerent, donec Pontificis responsa perferrentur. Ad hanc circumspectionem abs dubio Farnesium induxerat necessitas, qua Cæsaris favorem conservare tum oppido consultum censebat, præcipue, cum aliunde Imperator suam ipsi voluntatem patefecisset.

§. LXVII.

Cæsar Concilii translationi vehementer obfistens.

Pallav. n. 5. & 6. Litt. Veralli ad Legatos ultima Jul. Eiusd. ad Sfortiam 3. 6. & 8. Aug. & ad Legat. 6. Aug. Diar. Concil. Trid. M S. Archiv. Vat. p. 165. apud Reynald. hoc an. n. 127. Enimvero Imperator Hieronymo Corregio, quem Farnesius Cardinalis ablegaverat, hunc in modum respondit: *Tametsi a plerisque Concilii cessatio vel translatio ceu mihi conducibilis ostentetur, eo quod per eam mihi liberum esset cum Protestantibus convenire; cum tamen ego non alio spectem, quam ad divinum obsequium, ac prosperum rei successum, optarem, ne quid novi seu facti seu verbo ageretur.* Enimvero si Synodus vel dissolveretur, vel transferretur, nihil Cæsari obfistare potuisset, quo minus cum Protestantibus conveniret, ac procurata pace se a plurimis curis eximeret: cum autem Farnesius per eundem Corregium pariter Cæsarem de eo, quod inter Cardinales nuper in conventu die vigesima

sima nona Julii habito altercatio fuerit Sæcul XVI.
A.C. 1546.
 exorta, certiozem redderet, simulque e-
 undem rogaret, ut quæsito honesto
 prætextu Madrutium Tridento amove-
 ri curaret, Cæsar ad hæc respondit:
*Par est, ut per eos dies ibi maneret, quo
 simul ageret cum Farnesio de progressu, com-
 modisque Concilii, ac loci securitati consu-
 leret; postea deliberatum ibo de illius man-
 sione, aut discessu.*

Hæc itaque tam diferta Cæsaræ
 voluntatis expositio Farnesium permov-
 vit, ut Legatis inhiheret, ne absque
 certo Pontificis mandato quicquam in
 Congregatione circa translationem pro-
 ponerent. Idem quoque ad eosdem
 perscripsit Verallus Sedis Apostolicæ
 Nuntius, ac paulo post id ipsum Men-
 doza Cæsaris Orator confirmavit, hæc
 significans: *Voluntas Cæsaris a propo-
 sitione usque adeo abhorret, ut mina-
 citer fulminaret in quoscunque de ea mutire
 ausos, ac potissimum in Cervinum, quem
 præcipuum hujus Consilii auctorem existi-
 mabat.*

Quamvis vero Imperator graviter
 quereretur, imo etiam minas adjice-
 ret, timendumque esset, ne Synodi
 translatio Germanos inter, & Hispanos
 turbas concitaret, his tamen Legati mi-
 nime deterriti transferendæ Synodi pro-
 posito insistebant, spe freti, hanc trans-
 latio-

Sæcul. XVI. A.C. 1546. lationem etiam a Papa approbatum iri. Hanc ob rem die decima tertia mensis Augusti conventum egerunt, in quo Montanus Cardinalis Patres hortabatur, ne Tridento discederent, nihilque pertimescerent, quandoquidem fausti advenissent nuntii de victoriis, quas Cæsar de hostibus suis reportasset: nec minus in eandem quoque Legati sententiam pluribus differebat Episcopus S. Marci: Porro Legati minime audebant, Pontificem hortati ad rem tanti moliminis aggrediendam, ex qua graves omnino tumultus ipsimet reformidabant, licet illius executionem tacitis animis optarent, ac comprobarent: hinc duntaxat a Pontifice petierunt, ut ipsos Tridento amovere vellet, aliosque subrogaret, qui Cæsari nec suspecti, nec invisi forent. Verum ea res tum haud ultra urgebatur, Patrum animis unice intentis, ut dogmatum examen prosequi possent.

§. LXVIII.

Fidei quæstiones rursus discussæ.

Igitur conventu die vigesima Augusti habito Patres examinando de justificatione dogmati incubuerunt, rursusque discussa fuit norma Canonum, qui pro condemnandis illis viginti quinque pro-

propositionibus nuper relatis conficie-
 batur. Hanc in rem Patribus fuit pro-
 positum, quosdam esse feligendos, qui
 anathemata in præfatos viginti quinque
 articulos jam satis examinatos conscri-
 berent: Tres igitur nominantur Episco-
 pi, totidemque supremi Ordinum Præ-
 fectioni, qui Præsede Marcello Cervino
 huic labori insudarent: verum cum hæc
 Canonum norma proximis conventibus
 discutienda proponeretur, eadem illico
 recruduere controversiæ majori adhuc,
 quam antea animorum contentione agi-
 tatæ, quæ prius *de certitudine gratiæ,*
de operibus moralibus infidelium, & pecca-
torum, de merito congrui, de imputatione
justitiæ, & de distinctione gratiæ ac chari-
tatis habebantur: Cum vero Legatus
 hos articulos accurata disquisitione pon-
 derari vellet, vehementer Episcopos ur-
 gebat, ut omnia articulatim examina-
 rent, unde sola disputatio de certitudi-
 ne gratiæ plures dies tenuit, ac non
 modo Theologos, sed & Præsules in
 duas factiones scidit: Tandem Mar-
 cellus Cervinus disceptationi finem im-
 ponere satagens asseruit, ad ea, quæ
 hucusque dicta fuissent, indulgendum
 esse temporis spatium, ut de his matu-
 rius ferri possit iudicium: unde perop-
 portunum fore censuit, ut *de operibus*
præparatoriis, necnon de legis observatione
Hist. Eccles. Tom. XXXIX, I ser-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1546.

Sæcul. XVI. fermo institueretur, qua occasione a
A.C. 1546. multis proposita est quæstio de libero
 arbitrio.

§. LXIX.

*Articuli de libertate ex Lutheri libris
 decerpti.*

Fall. l. 8. c. 13. Designabantur itaque Præsules, ac
 Theologi, qui ex Lutheranorum
 libris undequaque colligendis articulos,
 qui Censuræ obnoxii viderentur, decer-
 perent. Erant hi articuli numero sex
 prout sequuntur. *I. Deus est causa to-
 talis operum nostrorum pravorum, ac bono-
 rum, neque magis proprium Dei opus est
 Pauli vocatio, quam Davidis adulterium,
 crudelitas Manlii, & Judæ proditio.*

*Paul. Sarpi
 hist. Conc.
 Trid. l. 2.
 p. 190.*

*II. Nemini est relicta facultas cogitan-
 di bonum aut malum, sed omnia ex abso-
 luta necessitate proveniunt: neque est in no-
 bis liberum arbitrium, sed illud asserere me-
 rum est figmentum.*

*III. Liberum arbitrium post Adami
 prævaricationem plane est amissum, atque
 homo, dum, quod suæ spontis est, agit,
 peccat mortaliter: ideo chimæra est, nudum
 nomen & titulus sine subjecto.*

*IV. Liberum arbitrium prodit se in
 faciendo malum, bene agendi potestatem non
 habet.*

V.

V. *Liberum arbitrium a Deo impulsu nullo modo cooperatur, sed sequitur, sicut instrumentum inanimum, aut vero animal irrationale.* Sæcul. XVI.
A. C. 1546.

VI. *Deus, quos sibi videtur, convertit, etiamsi nolint, & recalcitent.*

Primi duo articuli omnium suffragio tanquam in Deum Blasphemi, ac jam pridem ab Ecclesia in Manichæis, Priscilianistis & Wiclefistis damnati, fuere proscripti: circa tertium vero, æque ac quintum, & sextum quædam suborta est contentio.

§. LXX.

Alii articuli circa Prædestinationem examinati.

Tandem Patres ad examinandam Protestantium doctrinam circa prædestinationem progrediebantur, atque ex Zwinglii Sectatorum libris circa hoc argumentum septem articulos extraxerunt, quorum primus erat. *In prædestinatione & reprobatione nullæ sunt partes hominis, sed solius divinæ voluntatis.*

II. *Prædestinati non possunt damnari, neque reprobi salvari.*

III. *Soli Electi, & prædestinati vere justificantur.*

IV. *Justificati tenentur per fidem credere, se esse e numero prædestinatorum.*

Sæcul XVI. *V. Justificati non possunt amittere*
 A.C. 1546. *gratiam.*

VI. Qui sunt vocati, neque tamen numero prædestinatorum, nunquam accipiunt gratiam.

VII. Justificatus tenetur credere per fidem, quod ad finem usque in justitia sit perseveraturus, item, ubi exciderit gratia, ad eam recuperandam rediturus.

Primum articulum plures Theologi Orthodoxæ fidei consonum, adversam vero ejus doctrinam omnino hæreticam censebant, eo quod, D. Thomas, ac Doctorum quamplurimi tradant, quod Deus ante mundi fabricam ex universa massa generis humani per solam, meramque suam misericordiam nonnullos elegerit ad gloriam, quibus efficacia media præparavit ad eam obtinendam, quod dicitur prædestinare. Horum numerus, inquebant, est certus & determinatus, neque incrementum admittit: ceteri, quos non prædestinavit, non habent, quod querantur, quando Deus his quoque auxilium sufficiens præparavit, licet revera alii, quam electi salutis effectum non sint consecuturi. Rationem validissimam afferebant e D. Paulo ad Romanos, qui Jacobum in exempla prædestinatorum, & Esavum reprobatorum citans, profert ipsum ea de re Dei Decretum, antequam nascerentur, pronunciatum, non ex operibus, sed secundum merum ipsius beneplacitum. Dein
 adjun-

adjungebant ejusdem Apostoli similitu- Sæcul. XVI.
 dinem; *sicut figulus ex eodem luto format* A.C. 1546.
unum vas ad honorem, & aliud ad ignomi-
niam, sic Deus ex eadem hominum massa,
quos sibi visum erat, elegit, aliis neglectis,
præterea etiam D. Paulus ad id confirman-
dum citavit verbum Dei ad Moysen, mi-
sererebor, cujus miserturus sum, & mi-
sericordiam præstabo, cujus miserebor.
Idemque concludit, non esse igitur volen-
tis, neque currentis, sed miserentis
Dei: Item Deum misereri, cujus vult,
& quem vult, indurare. Addebant in-
super, hac ratione consilium divinæ præde-
stinationis & reprobationis ab eodem Apo-
stolo vocari altitudinem, & profundita-
tem sapientiæ impenetrabilem & incor-
ruptibilem: citabantque ex aliis Epistolis;
nihil nos habere, quod non accepimus:
nos nec ad bene cogitandum quidem ex
nobismet ipsis esse sufficientes. Tum
ubi causam reddit, cur alii excidant a fide,
aliis permanentibus firmis, hanc assignat,
quod firmum stet Dei fundamentum, ha-
bens hoc signaculum, novit Deus, qui
sint ejus. Multa denique afferebant ex
Evangelio D. Joannis, & prope innu-
mera ex divo Augustino, qui quidem vir
sanctus ætate grandis in favorem hujus do-
ctrinæ plurima scripserat. Non deerant
tamen Theologorum nonnulli, qui
Prædestinationis causam hominis con-

Sæc. XVI.
A. C. 1546.

sentientis voluntati adjudicabant, primamque sententiam velut nimis duram rejiciebant.

§. LXXI.

Catharini sententia de Prædestinatione.

*Pallav. l. 8.
c. 13. n. 2.
Sarpi l. 2.
p. 195.*

Catharinus media via incedere volens sententiam suam his verbis edixit: *Deus pro sua bonitate e cætu hominum paucissimos aliquot delegit, quos omnino salvare decrevit, eosque mediis potentissimis, efficacissimis, quæque fallere non possunt, instruxit. Ceteros omnes vult quidem salvos fieri, atque huic fini media omnibus sufficientia præparavit, sed penes ipsos reliquit, ea vel accipiendo salvari, vel rejiciendo damnari: horum vero duo sunt genera: alii, qui ea recipiunt, & salvi fiunt, licet ex electis non sint, eorumque magnus est numerus; alii, qui abnuunt cooperari Deo, qui eos salvos cupit, proindeque damnantur. Causa prædestinationis primorum, est sola divina voluntas, aliorum, acceptatio, ususque auxilii divini, & cooperatio etiam a Deo prævisa; causa vero reprobationis ultimorum prævisa a Deo perversa ipsorum voluntas, in repudiando Dei auxilio, aut eodem male utendo. D. Joannes, D. Paulus, & omnes Scripturæ loci ab adversa parte allegati, quibus*
totum

totum opus Deo tribuitur, & infallibile Sæcul. XVI. A.C. 1546.
 evincitur, intelligendi de primis solum, qui
 singulari gaudent privilegio. Reliquis via
 communis est præparata, & in illorum
 gratiam comparatæ admonitiones, exhorta-
 tiones, & generalia auxilia, quæ quidem,
 qui audit, & sequitur, hic salvus evadit,
 qui renuit auscultare, sua culpa perit. Ho-
 rum paucorum, qui communi sorte exempti,
 privilegiati sunt, numerus apud Deum
 certus est, ac determinatus: reliquorum,
 qui salvi fiunt via communi, & ab huma-
 na libertate pendente, numerus a Deo non
 est determinatus, nisi secundum prævisa u-
 niuscujusque opera.

Itaque pro harum trium opinionum
 varietate secundi quoque articuli cen-
 sura erat diversa: Catharinus enim pri-
 mam ejus partem veram agnoscebat, pro-
 pter efficaciam divinæ voluntatis erga nos,
 quos Deus prosequitur affectu singulari: se-
 cundam vero falsam, tam propter sufficien-
 tiam subsidii divini, quod omnibus defertur,
 quam ob humanam in cooperando libertatem.
 Alii, qui causam prædestinationis in omni-
 bus tribuebant assensui humano, articulum
 omnino damnabant, utraque sui parte. At illi
 qui sententiam D. Augustini tueban-
 tur, hunc articulum in quodam sensu
 verum, in alio autem falsum esse affir-
 mabant, seu admittebant, quod electi,
 si considerantur cum Electionis decre-

Sæcul. XVI. to, damnari non possint, si vero *simpliciter tanquam homines*, ac non attento
 A C. 1546. Prædestinationis decreto spectentur, tunc admittendum asserebant, quod illi damnari valeant, cum potuissent non eligi. Hanc doctrinam illustrabant, desumentes exemplum ab eo, qui plorat, ridere non potest in eo sensu, quod planctum cum risu conjungere valeat, in alio tamen sensu ridere potest, dum scilicet hosce duos actus ab invicem separatos exercere valet.

§. LXXII.

Aliorum capitum examen, ac Censura.

Reliquos articulos communi suffragio Patres censuræ subjiciebant, affirmantes, *perpetuam extitisse omnibus sæculis Ecclesie opinionem, multos ad tempus gratiam divinam accipere, & conservare, quam deinceps amittant, & in condemnationem incurrant. Eam in rem asserebant exempla Saulis, Salomonis, Judæ unius & duodecim.* Ad quinti articuli censuram allegarunt Prophetiam Ezechielis, apud quem Deus ita loquitur: *si justus justitiam deseruerit, & inique fecerit, benefactorum ejus non recordabor.* Circa sextum articulum Patres asserebant, quod vocatio in Zwinglianorum sensu nil nisi impia foret

Ezech. 3. &
 18. e duodecim.
 Exod. 33. Ad quinti articuli censuram
 Luc. 10. allegarunt Prophetiam Ezechielis,

foret delusio, si vocati, dum faciunt, ^{Sæcul. XVI.}
 quicquid in ipsis est, excluderentur, ^{A.C. 1546.}
 & Sacramenta illis nihil prodesse.
 Præterea temeritatis damnatus fuit ar-
 ticulus septimus; excepti tamen fuere
 ii, quibus Deus ipsos in libro vitæ scri-
 ptos esse manifestavit, qua gratia Moy-
 sen & Apostolos dignatus est. Absolu-
 to hoc examine, circa Prædestinatio-
 nis articulos anathemata conficieban-
 tur, ut ea illis, quæ circa justificatio-
 nem pronuntiata erant, opportune in-
 fererentur. Verum ut accuratior serva-
 retur ordo, Corcyrensis Archiepisco-
 pus animadvertit, *articulos quosdam cum*
multis limitationibus, alios cum additioni-
bussu fuisse damnatos, proin tam has, quam
illas censuris esse inferendas, ne aliquæ pro-
positiones absolute damnarentur, quæ com-
modum sensum admittere possent. Ex ad-
 verso alii affirmabant, ad cuiusdam
 propositionis damnationem sufficere,
 quod perversum contineat sensum, præ-
 fertim cum *consuetudine priscorum Conci-*
liorum propositiones hæreticæ, nudæ, si-
cut ab hæreticis essent propositæ, sine limi-
tatione essent damnatæ, atque in materia fi-
dei ad articulum damnandum sufficeret unus
aliquis sensus falsus, qui incautos in errorem
posset impellere.

Censuit vero Senogalliensis Episco-
 pus, quod *Doctrina Catholica a contra-*

Sæc. XVI. *ria segregaretur, & duo fierent decreta.*
 A.C. 1546. *Unum, quo continua oratione sensus Eccle-*
sia exponeretur, & firmaretur: Alterum,
quo damnaretur, & anathemate fulminare-
tur doctrina contraria. Id Consilium om-
 nibus placuit: hinc mox duo illius ex-
 empla Romam mittebantur, cuilibet
 vero Episcopo unum ejusmodi exem-
 plar tradebatur, & Cervino Cardinali
 injungebatur, ut decreta, ac Canones
 conficeret. Interea usque ad mensis
 Januarii initium plures tam Præsulum,
 quam Theologorum conventus habe-
 bantur, in quibus præfatus Cardinalis
 hac super re cum singulis conferebat,
 ac cujusque sententiam exquirebat.

§. LXXIII.

Quæstio de Reformatione agitari
cæpta.

Pallav. l. 8. **H**aud quaquam a Patribus neglectum
c. 2. n. 7. fuit Reformationis negotium; præ-
Raynald ad primis enim proponebatur agendum es-
en 1547. n. 1. se de dotibus, quæ in Ecclesiæ Mini-
Massarel. in stris ad majores dignitates promo-
ad MS. dis requirebantur: verum hujus quæ-
arch. Vatic. stionis discussio eo consilio differebatur,
p. 53. ut lis de Episcoporum Residentia de-
 cidi posset. Porro jam ineunte mense
 Julio Cardinalis Montanus Patres mon-
 uerat, ut obstacula, quæ circa
 Epi-

Episcoporum Residentiam obversaren-^{Sæc. XVI.}
 tur, sine mora discuterent: Turritanus A.C. 1546.
 vero Episcopus proposuit, *quod satius*
esset certos Patres deputari, qui a singulis
liberius illa colligerent: & Vigerius
 auctor erat, eos pro Nationum numero
 seligendos. At Montanus verebatur, ne
 id occasionem præberet ad peculiaria
 Patrum conventicula, & ad agendum
 per Nationum, non per capitum sententi-
 as, licet hoc foret contra id, quod fuerat
 constitutum, hinc respondit: *Nolumus, Sy-*
nodum individuum in partes discindi. Si Na-
tionis unius Antistites nobis simul propone-
rent incommoda, quæ suis in Regionibus ex-
perti fuerant, libenter aures dabimus: pa-
rati etiam sumus fidem nostram silentio ob-
stringere, ut nec Pontifici quidem ullius no-
men aperiamus. Hæc verba, ut ex libe-
 rali moderatione prolata, ita cunctis, &
 Hispanis præsertim, plaudentibus ex-
 cepta fuere. Aliquod igitur temporis
 intervallum effluxerat, usquedum de
 hoc argumento ageretur, ac nonnisi
 exeunte mense Decembri rursus hæc
 quæstio Patrum animos serâ sollicitu-
 dine distentos tenuit; interea vero non
 modo Synodi Patres, sed etiam Theo-
 logi circa controversiam de justificatio-
 ne strenue desudabant.

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

§. LXXIV.

*Mandatum a Pontifice Legatis datum,
ne Episcoporum residentia ju-
ris divini esse decideretur.*

*Pallav. l. 8.
c. 18. n. 1.*

Cum Patres de morum emendatione agentes persæpe quæstionem moverent, utrum Episcoporum residentia divini vel duntaxat Ecclesiastici juris esset, hinc Legati hac super re Pontificem certiores fecere: hic vero eisdem præcepit, ut præprimis hanc quæstionem ulterius agitari præpedirent, si tamen eadem proponeretur, Patribus significarent, quod minime ad Synodum, utrum hæc residentia ex divino jure descendat, discutere pertineat, sed potius abusus emendare ipsius sit, quos inter, cum Episcoporum absentia numeraretur, duntaxat de pœnis agendum esset a Synodo imponendis, ut earum metu corruptelæ tollantur in illis, quibus animarum cura credita est, & tamen absentes sunt. In eadem Epistola Pontifex suos Legatos hortabatur, ut solliciti essent, ne S. R. E. Cardinales, qui Episcopatibus provisi a suis sedibus absunt, non iisdem involvantur pœnis, quibus ceteri Episcopi subjicerentur.

rentur (*). Interim Theologorum potissimum, ac præcipue Dominicani residentiam præcipi jure divino, idque decidendum censebant, & quamvis Legati jussa Pontificis summa fidelitate exequerentur, ac generalibus duntaxat verbis residendi legem, malaque ex Prælatorum absentia subinde exorta

Sæc. XVI.
A. C. 1546.

(*) Observandum venit, quod Continuator noster totam suam historiam Concilii Tridentini ad verbum ex Paulo Sarpio & Pallavicino descripserit, id tamen merito ei vitio vertendum, quod ea, quæ Sarpio maledica sua lingua falso evomuit, Continuator tanquam certum veritatis oraculum suæ historiæ inferuerit, etiam si ea ex luculentis testimoniis a Pallavicino confutata ignorare non potuerit, illa vero, quæ ex Pallavicino defloravit, plerumque in odium SS. Pontificum, Cardinalium, totiusque Status Ecclesiastici ad reprobum sensum detorserit. Præter millena alia hujus rei exempla habetur unum hoc loco, ubi Continuator asserit, Papam voluisse, ut Cardinales non residentes nequaquam easdem pœnas cum ceteris Episcopis subirent, cum tamen Pallavicinus ex literis Farnesii ad Legatos die 30. Junii datis referat, *Papam jussisse, ne in decreto obligationis residendi, Cardinales DISERTIS VERBIS NOMINARENTUR*, eo quod illis pœnas statuere, penes Pontificem esset.

Sæcul. XVI. ta proponerent, nihilominus ex præfa-
 A.C. 1546. to Ordine duo natione Hispani, Bar-
 tholomæus Caranza, postmodum Tole-
 tanus Archiepiscopus, & Dominicus
 Soto hanc obligationem ad jus divinum
 pertinere totis viribus propugnabant.
 Ast ex juris Pontificii peritis, atque E-
 piscopis Italis potissimi contendebant,
 quod residentiam non nisi jus positivum
 ac humanum requirat. Porro præter
 reliquos Ambrosius Catharinus, quam-
 vis ipsemet Dominicanus esset, hanc ta-
 men propugnavit sententiam: *Episcopa-
 tus a Christo institutus, qui Pontifici confer-
 tur, non nisi unicus est; reliquorum omnium
 institutio debetur Pontifici, qui sicuti quan-
 titatem & numerum ovium pascendarum de-
 signat, ita modum & qualitatem pascendi
 præscribit: est igitur Papæ, Episcopo cui-
 que præfigere, an per se ipsum, an per sub-
 stitutum, attendere gregi debeat; sicuti e-
 jusdem est, multos aut paucos ei pascendos
 assignare, aut potestate etiam pascendi om-
 nino privare.* Thomas Campeggius Epi-
 scopus Feltrensis aliter respondebat, di-
 cens: *quod Episcopatus, attestante D. Hierony-
 mo a Christo fuisset institutus, sed Episcopa-
 tum divisio, postmodum ab Ecclesia, Chri-
 stusque Apostolis omnibus pascendi curam
 commisisset, sed eos uni loco non alligasset,
 atque ipsæ Apostolorum, suorumque Disci-
 pulorum actiones satis testentur, quod assignatio*

natio hujus partis gregis uni, & illius al-
 teri, institutio fuerit Ecclesiastica, ad com-
 modiore[m] Ecclesiæ administrationem.

Sæc. XVI.
 A.C 1547.

Ceterum cuncta hæc in conventu die
 trigesima Januarii habito discutiebantur.

§. LXXV.

Residendi lex in quodam coetu decisa.

Die quarta Januarii generalis celebra-
 tus est Patrum confessus; cum enim

Pallav. ibid.
 n. 3.

Montanus Cardinalis a quibusdam ro-
 garetur, ut non modo Episcopi, sed
 etiam Cardinales in suis sedibus perma-
 nere adstringerentur, hic eos ita allo-
 quebatur: *Ego & mei Socii ad residen-
 dum parati sumus, idemque mihi de reliquis
 Cardinalibus persuadeo, sed pro ea, quæ
 illius gradus ratio habetur, haud certe per-
 mittitur, ut quasi rei nominentur: pos-
 sent tamen adhiberi vocum Generalium for-
 mulæ tam amplæ, quæ Senatorium illum
 Ordinem pariter complecterentur. At cum
 quidam instare pergerent, quod interdi-
 cendum esset, ne pluribus Ecclesiis unus, &
 idem præesset, quemadmodum Cardinalibus
 concedebatur, ut proin necesse esset, qua-
 tenus is ab altera saltem abesset: ad hæc
 primus Legatorum adjecit: non possu-
 mus una eademque opera rebus omnibus pro-
 spicere: hinc de eodem argumento in poste-
 rum agendum erit; & ubi lex proposita
 oppor-*

Sæcul. XVI. A.C. 1547. *opportuna censebitur, ea a Pontifice sancitur.* Ceterum id ipsum re effectum est, & jam Cardinales promptum ad id animum præferebant, quinimo Farneſius, se initium in eo facturum proponebat. Verum, ut palam facerent Legati, *morbum haud Roma profectum*, addidere, quod plures alicui Cardinali Ecclesie quandoque sint concessæ, ex peculiari-
*bus caussis, Dei Gloriam spectantibus, veluti Madruccio, qui post susceptas Tridentinas Insulas Brixiensibus Canonicis sedulo efflagitantibus, & Romæ re mature delib-
 rata, alteri simul Ecclesie admotus est, ut bono publico consuleretur.*

§. LXXVI.

*Quæstio de Synodi titulo in contro-
 versiam revocata.*

Pallav. n. 3. **R**ursus quæstio jam nuper agitata cir-
 ca Concilii titulum suscitata fuit, nonnullis impense flagitantibus, ut decretis sequens præfigeretur inscriptio: *Universalem Ecclesiam repræsentans*: hi enim contendebant, quod Decreti gravitas ejusmodi titulum apponi exigeret: ut vero suam opinionem confirmarent, observabant, quod in volumine *Rituum Ecclesiasticorum, typis impresso, & aucto-
 ritate Leonis decimi per diploma comproba-
 to, libro primo capite de Concilio: hæc
 habeant*

habeantur, cum Romanus Pontifex adest ^{Sæcul. XVI.}
 Concilio, conficiantur Decreta Pontificis ^{A.C. 1547.}
 nomine, quibus adjicitur, sacro Concilio
 approbante; at vero cum Pontifex abest,
 conficiantur nomine Concilii, adjecta epi-
 graphe memorata. Ad hæc Legati ra-
 tiones sæpius adductas iterarunt, & ad
 id, quod spectabat ad Rituum volumen,
 responderunt, falsum esse illud, quod tan-
 quam ibi usitatum affirmabatur: hanc in
 rem ipsi allatis exemplis ostenderunt,
 neque librum illum ullius esse auctoritatis,
 & in Pontificio diplomate solum privilegium
 typographo concessum contineri, quo cæteris
 libri editio interdicebatur. Hæc Præsi-
 dum ad singula capita responsio, mul-
 torum quidem ora compressit, sed pau-
 corum animos sedavit, ut inquit Palla-
 vicinus.

Sub idem tempus Legati amplum a
 Pontifice diploma die sexta Januarii da-
 tum receperunt, vi cujus ipsis concessa
 erat facultas præscribendi ea omnia,
 quæ consona censerent, dummodo po-
 tior Præsulum pars suo etiam suffragio
 accederet. Unde post diuturnas disce-
 ptationes decretum fuit confectum,
 quod infra referemus, dum sermo re-
 curret de iis, quæ in Sessione fuere
 agitata, ac promulgata: quippe vix
 credere quis poterit, quam varia fuerit
 Patrum sententia circa hæc Synodi De-

Hist. Eccles. Tom. XXXIX. K cre

Sæcul. XVI. creta; nam præprimis Cardinalis Pa-
 A.C. 1547 cecus cum quibusdam Episcopis natio-
 Pallav. n. 8. ne Hispanis contendebat volens, ut cu-
 ra cogendi Episcopos ad residendum
 demandaretur Conciliis Provincialibus,
 unoquoque biennio celebrandis: Ex ad-
 verso alii cum Lippomanno Veronenfi
 Episcopo dicebant, hæc Concilia merito
 prætermittenda esse, eoquod plerumque ex
 profanorum Principum arbitrio habita fuif-
 sent, & quandoque eorum gratia, ut Ro-
 mano Pontifici opponerentur, ac contra Se-
 dem Apostolicam, si hæc Principum volun-
 tati ancillari recusabat, indicerentur, id-
 que per exempla a trecentis postremis annis
 in comperto sit: & quamvis antiquioribus
 sæculis rectius, & ingenti cum fructu præ-
 cessissent, plurimæ tamen hæreses inde suborta
 fuerint. Præter hos erant, qui graviores
 pænas poscerent in absentes Episcopos
 ferri, quam erant illæ, quæ per antiquos
 Canones irrogabantur. Non deerant alii,
 qui cuperent, ut disertis verbis declararetur,
 nec a Regibus quidem Episcopos solvi
 posse ab obligatione residendi ex eo, quod
 suis in Conciliis ipsos detinerent. Por-
 ro nonnulli petebant, ut Regulares trans-
 fugæ, si extra cœnobia deliquissent, ci-
 tra omnem exceptionem ab Episcopis
 plecti possent.

Inter tantam opinionum varietatem
 sperabant Legati, plerosque, ubi ad
 rem

rem ventum esset, media incessuros Sæcul. XVI.
A.C.1547.
 via; cum vero in postrema Congrega-
 tione plures suis sententiis pertinacius
 inhæsisse cernerent, rogabant Synodi
 Patres, ut saltem in proxima Sessione
 majorem concordiam exhiberent, nec
 sese discordiæ ac diffensionis impetu ab-
 ripi paterentur, cum ejusmodi conten-
 tionibus Synodi auctoritas læderetur;
 quocirca potius ita se gererent, ut un-
 animis eorum consensus omnibus pate-
 fiat, cunctique lætentur, eoquod om-
 nia in plena tranquillitate fuerint com-
 posita. Porro eam Sessionem præcedebat
 alia adhuc Congregatio, in qua decre-
 ta fidem spectantia prælegebantur, at-
 que examini subjiciebantur. His de-
 cretis, quæ Cardinalis Cervinus confi-
 cere jubebatur, tot additiones, ac no-
 tæ fuere adjectæ, ut illis tertiam ma-
 num admoveere, ac rursus in pluribus
 locis postmodum secundis curis ea re-
 cognoscere oporteret. Nos impræsen-
 tiarum duntaxat postremas, ac præci-
 puas immutationes indicabimus.

§. LXXVII.

*Immutationes in decretis fidem spectan-
 tibus factæ.*

Itaque in primo capite, ubi agitur de *Pall. l. 8. c.*
impotentia naturæ, antea dicebatur: *13. n. 5. & 7.*

K 2

faten-

Sæcul. XVI fatendum est, *omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidisse, factos immundos, & natura filios iræ: QUEM-ADMODUM IN DECRETO PEC-CATI ORIGINALIS EXPOSITUM FUERAT*, quæ postrema verba fuere addita, ne iterum disputatio de B. Virgine Maria suscitaretur. Præterea idem decretum hæc verba continebat: *non modo gentes per vim naturæ, sed ne Judæi quidem per ipsam etiam legem Moysis inde liberari, aut surgere potuerunt, istis autem verbis per legem Moysis subrogata fuere hæc: per literam legis Moysis.* Porro occasione liberi arbitrii, prius in eodem capite dicebatur, quod *liberum arbitrium in homine non sit extinctum, sed duntaxat vulneratum: postea vero illius verbi loco fuit appositum: viribus licet attenuatum & inclinatum.*

In capite quinto, ubi agitur de debita, quam habent adulti, necessitate sese præparandi ad justificationem, hæc verba legebantur: *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem istam recipiens: QUIPPE QUI ILLAM ET ABIICERE POTEST: istis postmodum verbis hæc præmittebantur: cum in sua potestate sit eam non recipere.*

In sexto capite sic dicebatur: *Ho-* Sæcul XVI.
A.C. 1547.
*mines disponuntur ad ipsam justitiam, dum
excitati divina gratia & adjuti, fidem ex
auditu concipientes, libere moventur in De-
um &c. atque a Deo justificatur impius per
gratiam ejus, per redemptionem, quæ est
in Christo Jesu, & dum peccatores se esse
intelligentes, a divinæ justitiæ timore, quo
utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei
misericordiam se convertendo in spem erigun-
tur.* Hæc itidem postrema verba acriter
variis in cætibus impugnabat Ar-
macanus, contendens, quod prima infi-
delis, qui usu rationis potitur, justificatio
a spe, non a timore suum ortum duceret.
Verum, postquam hic fusc suam opinio-
nem tueri satagebat, tandem & ipse
ceterorum sententiæ accessit.

In eodem etiam capite legebatur,
quod homo ejusmodi fiducia excitatus,
*Deum tanquam omnis justitiæ fontem dilige-
re incipiat, ac propterea moveatur adver-
sus peccata &c.* In hoc igitur loco Sy-
nodus modum tradit, per quem Deus
peccatores ad justificationem disponit,
quam in rem Patres dixerunt: quod ho-
mines ejusmodi timore, ac fiducia excitati
*Deum tanquam omnis justitiæ fontem dili-
gere inciperent.* Observandum tamen,
quod in decreto, prout antea erat con-
ceptum, nulla facta fuerit dilectionis
mentio: ast Salvator Alepius Turrita-

Sæc XVI.
A.C. 1547.

nus Archiepiscopus, Claudius Jaius ex Societate Jesu, Lipomanus Veronenfis Adjutor, & Pius supremus Fratrum Minorum Præpositus gravibus oppido rationibus demonstrarunt, requiri, ut in hoc Decreto quidam charitatis actus, tanquam necessarius affereretur: Equidem huic opinioni nonnulli refragabantur, cum vero Theologi eam strenue propugnarent, res eo deducta est, ut decretum promulgaretur eo tenore, quo hodieum legitur.

Denique ad initium noni capitis hæc verba habebantur: peccata non remittuntur *per certitudinem*, quæ habetur de remissione: ast Legatus loco hujus vocis: *certitudinem*: apponi jussit: *præsumptionem*, seu *præsumptuosam fiduciam*. Præterea in fine ejusdem capitis, cum antea diceretur, quod nullus scire valeat *certo*, se consecutum esse gratiam Dei, addita fuere hæc verba: *certitudine fidei*, ut satisfaceret D. Thomæ Discipulis, qui etiam *Catholicæ* subjungi petierunt: cum autem Catharini fautores huic additioni sese opponerent, demptis hisce verbis *fidei Catholicæ*, subrogata sunt hæc: *fidei, cui non potest subesse falsum*, quam ob rationem utraque pars contenta permanfit.

§. LXXVIII.

§. LXXVIII.

Seffio VI. Concilii Tridentini.

Rebus ita decretis Patres ad Sessionem *Labbe Conc. sextam* processerunt, quæ habita est *coll. tom. 14. p. 756. Pallav. l. 8. c. 18. n. 10. Spond. hoc ann. n. 1. Raynald. l. c. n. 6. & 7.*
 decima tertia Januarii seu octava die Festi, quod sanctis tribus Regibus erat sacrum. Intererant illi duo duntaxat Sedis Apostolicæ Legati Mon- tanus & Cervinus; quippe Reginaldus Polus, ut supra meminimus, jamjam Romam reversus erat: præter hos vero aderant duo Cardinales, Madrutius & Paccecus, decem Archiepiscopi, quadraginta quinque Antistites, duo Abbates, & quinque supremi Ordinum Præpositi, præter Claudium Jaium & Ambrosium Pellargium ex Ordine S. Dominici, quorum primus erat Augustani Cardinalis, alter vero Trevirensis Archiepiscopi Procurator: Porro nullus ex Principum Legatis intervenerat, eoquod Galliarum Regis Oratores, qui soli Tridenti morabantur, huic Sessioni interesse recusarent, caussati, quod nolint incurrere offensionem Cæsaris, cui hujusmodi Decretorum promulgationem displicere crederent, atque hujus rei argumentum foret Cæsarei Oratoris Mendozæ absentia, cum is certo præsens fuisset, nisi id Cæsarem ægre ferre

Sæcul. XVI
A.C. 1547

putasset: cum vero Galli hanc Sessionem accedere impensius rogarentur, se adventuros polliciti sunt, dummodo Paccetus se Cæsaris nomine adfuturum scripto profiteretur: eo autem id renuente, Franciæ quoque Oratores in ædibus suis perstiterunt, Cæsaris vero Legati Tridento excedere iussi sunt.

His licet absentibus Andreas Cornelius Spalatenfis Episcopus sacrum solemne de Spiritu sancto decantavit, ac sermone per Thomam Stellam Salpensem Episcopum habito, necnon Litanis de more cantatis, Diaconorum quidam legit ex S. Matth. 5. Evangelium, quod incipit: *Vos estis Sal terræ &c.* Cardinalis vero Montanus utpote Synodi Præses, primusque Papæ Legatus orationem habuit, cui præfixit hæc Isaïæ Prophetæ verba: *Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.* Hunc textum Montanus attribuit Ecclesiæ tanquam dilectæ Christi Domini Sponsæ, contra quam hæreticorum artes nihil prævalere poterant. Absoluto hoc sermone idem Cardinalis Hymnum *Veni Creator Spiritus* intonavit, quem Cantores profecuti sunt. Postmodum ambo Legati summam Aram accedentes, vultu ad Patres converso confederunt, ac demum Antistites juxta electionis

Isa. c. 60. v. 1.

tionis suæ ordinem suas quisque Se-
des occuparunt: Spalatensis vero Ar-
chiepiscopus a Legatis recepit duo illa
Decreta in hac Sessione promulganda,
quorum primum erat de justificatione,
alterum vero de Residentia: igitur con-
scenso suggestu utrumque alta voce præ-
legit, præprimis vero illud de justifica-
tione in sexdecim capita distinctum u-
nacum triginta tribus Canonibus con-
tra hæreticos recitavit.

Sæcul XVI.
A.C. 1547.

§. LXXIX.

*Hujus Synodi Decretum de Ju-
stificatione.*

Præprimis hujus Decreti præfatio le-
gebatur his verbis concepta: *Cum* ^{Labbe ib. t. 14. p. 757.}
*hoc tempore non sine multarum animarum
jactura, & gravi Ecclesiasticæ unitatis de-
trimento, erronea quædam disseminata sit
de justificatione doctrina: ad laudem, &
gloriam omnipotentis Dei, Ecclesiæ tran-
quillitatem, & animarum salutem, sacro-
sancta Oecumenica, & generalis Tridenti-
na Synodus, in Spiritu sancto legitime con-
gregata, præsidentibus in ea nomine Sanctis-
simi in Christo Patris, & Domini nostri
Domini Pauli, divina providentia Papæ III.
Reverend. Dominis D. Joan. Maria Epi-
scopo Prænesino, de Monte, & Marcello,
Tit. S. Crucis in Hierusalem Presbytero,*

K 5

S. Ro.

Sæcul. XVI. S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & Apostolicis de latere Legatis, exponere intendit omnibus Christi fidelibus veram, sanamque doctrinam ipsius justificationis, quam Sol justitiæ Christus Jesus fidei nostræ auctor, & consummator docuit, Apostoli tradiderunt, & Catholica Ecclesia, Spiritu sancto suggerente, perpetuo retinuit: districtius inhibendo, ne deinceps audeat quisquam aliter credere, prædicare, aut docere, quam præsentis decreto statuitur, ac declaratur. Postmodum prælecta fuere quædam capita his verbis concepta.

CAPUT I.

De naturæ & legis ad justificandos homines imbecillitate.

Primum declarat sancta Synodus, ad justificationis doctrinam probe, & sincere intelligendam oportere, ut unusquisque agnoscat, & fateatur, quod, cum omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidissent, facti immundi, &, ut Apostolus inquit, natura filii iræ, quemadmodum in decreto de peccato originali exposuit, usque adeo servi erant peccati, & sub potestate diaboli, ac mortis, ut non modo gentes per vim naturæ, sed ne Judæi quidem per ipsam etiam literam legis Moysis, inde liberari, aut surgere possent:

*Ephes. II.
v. 3.*

sent: tametsi in eis liberum arbitrium
 minime extinctum esset, viribus licet
 attenuatum & inclinatum.

Sæcul. XVI.
 A.C 1547.

CAPUT II.

De dispensatione & mysterio Adventus Christi.

Quo factum est, ut cœlestis Pater,
 Pater misericordiarum, & Deus
 totius consolationis, Christum Jesum
 Filium suum, & ante legem, & legis
 tempore, multis sanctis Patribus decla-
 ratum, ac promissum, cum venit bea-
 ta illa plenitudo temporis, ad omnes
 miserit, ut Judæos, qui sub lege erant,
 redimeret, & gentes, quæ non secta-
 bantur justitiam, justitiam apprehende-
 rent, atque omnes adoptionem filiorum
 reciperent. Hunc proposuit Deus pro-
 pitiatorem per fidem in Sanguine ipsius
 pro peccatis nostris, non solum autem
 pro nostris, sed etiam pro totius mundi.

CAPUT III.

Qui per Christum justificantur.

Verum etsi ille pro omnibus mortuus
 est, non omnes tamen mortis ejus
 beneficium recipiunt, sed ii duntaxat,
 quibus meritum passionis ejus commu-
 nicatur. Nam sicut revera homines,
 nisi

Sæcul. XVI. nisi ex femine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur iniusti, cum ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant: ita nisi in Christo renascerentur, nunquam justificarentur, cum ea renascentia per meritum passionis ejus gratia, qua justi fiunt, illis tribuatur. Pro hoc beneficio Apostolus, gratias nos semper agere hortatus Patri, qui dignus nos fecit in partem fortis Sanctorum in lumine, & eripuit de potestate tenebrarum, transtulitque in Regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum.

Coloss. I. II.

CAPUT IV.

Insinuatur descriptio justificationis impii, & modus ejus in statu gratiæ.

Quibus verbis justificationis impii descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem nostrum: quæ quidem translatio, post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non potest, sicut scriptum est: *Nisi quis renas-*

Joan. 3. 5.

renas-

*renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, Sæc. XVI.
non potest introire in Regnum Dei. A.C. 1547.*

CAPUT V.

De necessitate præparationis ad justificationem in adultis, & unde fit.

Declarat præterea, ipsius justificationis exordium in adultis a Deo per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut qui per peccata a Deo averfi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo & cooperando, disponantur, ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens; quippe qui illam & abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit. Unde in sacris literis, cum dicitur: *Convertimini ad me, Zach. i. v. 3.*
& ego convertar ad vos, libertatis nostræ admonemur. Cum respondemus: *Converte nos, Domine, ad te, & convertemur, Dei nos gratia præveniri confitemur.*

CAPUT

Sæcul. XVI.
A. C. 1547.

CAPUT VI.

Modus Præparationis.

Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, & ad-
juti, fidem ex auditu concipientes, li-
bere moventur in Deum, credentes ve-
ra esse, quæ divinitus revelata & pro-
missa sunt, atque illud in primis, a
Deo justificari impium per gratiam ejus,
per redemptionem, quæ est in Christo
Jesu, & dum peccatores se esse intel-
ligentes, a divinæ justitiæ timore, quo
utiliter concutiuntur, ad considerandam
Dei misericordiam se convertendo in
spem eriguntur, fidentes Deum sibi pro-
pter Christum propitium fore, illumque
tanquam omnis justitiæ fontem dilige-
re incipiunt, ac propterea moventur
adversus peccata per odium aliquod,
& detestationem, hoc est per eam pœ-
nitentiam, quam ante Baptismum agi
oportet; denique dum proponunt susci-
pere Baptismum, inchoare novam vi-
tam, & servare divina mandata. De
hac dispositione scriptum est: *Acceden-*

tem ad Deum oportet credere, quia est, &
Marc. II. 5. quod inquirentibus se remunerator sit. Et:
Math. 7. Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.
Eccl. I. 27. Et: Timor Domini expellit peccatum. Et:
Act. II. 38. Penitentiam agite. Baptizetur unusquis-
que vestrum in nomine Jesu Christi, in re-
missio-

missionem peccatorum vestrorum, & acci-
 pietis Donum Spiritus sancti. Et: Eun-
 tes ergo, docete omnes gentes, baptizantes
 eos, in nomine Patris, & Filii, & Spiri-
 tus sancti: docentes eos servare, quacun-
 que mandavi vobis. Denique: Præparate
 corda vestra Domino.

Sæc. XVI.
 A.C. 1547.

Matth. 28.

v. 19.

1. Reg. 7. 3.

CAPUT VII.

*Quid sit Justificatio impii, & quæ
 ejus causa.*

Hanc dispositionem, seu præparatio-
 nem justificatio ipsa consequitur,
 quæ non est sola peccatorum remissio,
 sed & sanctificatio, & renovatio inte-
 rioris hominis, per voluntariam susce-
 ptionem gratiæ, & donorum: unde ho-
 mo ex injusto fit justus, & ex inimico
 amicus, ut sit hæres secundum spem
 vitæ æternæ. Hujus justificationis causæ
 sunt, finalis quidem gloria Dei &
 Christi, ac vita æterna: efficiens vero,
 misericors Deus, qui gratuito abluit,
 & sanctificat, signans & ungens Spiritu
 promissionis sancto, qui est pignus hæ-
 reditatis nostræ: meritoria autem, di-
 lectissimus Unigenitus suus Dominus
 noster Jesus Christus, qui, cum esse-
 mus inimici, propter nimiam charita-
 tem, qua dilexit nos, sua sanctissima
 passione in ligno crucis nobis justifica-
 tionem

Sæcul. XVI. tionem meruit, & pro nobis Deo Patri
A.C. 1547. satisfecit: instrumentalis item, Sacramentum Baptismi, quod est Sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit justificatio: demum unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur Spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed vere justii nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam, secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem. Quamquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur, id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ passionis merito, per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret, unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem. Nam fides, nisi ad eum spes accedat, & charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit: qua ratione verissime dicitur fidem sine operibus mortuam,

tuam, ac otiosam esse, & in Christo Je-
 su neque circumcissionem aliquid vale-
 re, neque præputium, sed fidem, quæ
 per charitatem operatur. Hanc fidem
 ante Baptismi Sacramentum ex Aposto-
 lorum traditione catechumeni ab Ec-
 clesia petunt, cum petunt fidem vitam
 æternam præstantem, quam sine spe,
 & charitate fides præstare non potest.
 Unde & statim verbum Christi audiunt:
Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. *Matth. 19.*
 Itaque veram & Christianam Justitiam
 accipientes, eam, ceu primam stolam
 pro illa, quam Adam sua inobedientia
 sibi, & nobis perdidit, per Christum
 Jesum illis donatam, candidam & im-
 maculatam jubentur statim renati con-
 servare, ut eam perferant ante tribu-
 nal Domini nostri Jesu Christi, & ha-
 beant vitam æternam.

CAPUT VIII.

*Quomodo intelligatur, impium per fi-
 dem, & gratis justificari?*

Cum vero Apostolus dicit, justificari
 hominem per fidem, & gratis; ea
 verba in eo sensu intelligenda sunt,
 quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ
 consensus tenuit, & expressit: ut scili-
 cet per fidem ideo justificari dicamur,
 quia fides est humanæ salutis initium,
Hist. Eccles. Tom. XXXIX. L fun-

Sæcul. XVI.
 A. C. 1547.
Jac. II. 20.
Gal. v. 6.

Sæcul. XVI.

A.C. 1547.

Hebr. II. 6.

fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire: gratis autem justificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur: si enim gratia est, jam non ex operibus: *Alioquin*, ut idem Apostolus inquit, *gratia jam non est gratia.*

Rom. II. 6.

CAPUT IX.

Contra inanem hæreticorum fiduciam.

Quamvis autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa unquam fuisse peccata, nisi gratis divina misericordia propter Christum: nemini tamen fiduciam & certitudinem remissionis peccatorum suorum jactanti, & in ea sola quiescenti, peccata dimitti, vel dimissa esse dicendum est: cum apud hæreticos & schismaticos possit esse, imo nostra tempestate sit, & magna contra Ecclesiam Catholicam contentione prædicetur vana hæc, & ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud afferendum est, oportere eos, qui vere justificati sunt, absque ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere, se esse justificatos, neminemque a peccatis absolvi, ac justificari,

nisi

nisi cum, qui certo credat se absolutum, & justificatum esse, atque hac sola fide absolutio-
 nem, & justificationem per-
 fici: quasi qui hoc non credit, de Dei
 promissis, deque mortis & resurrectio-
 nis Christi efficacia dubitet. Nam si-
 cut nemo pius de Dei misericordia, de
 Christi merito, deque Sacramentorum
 virtute, & efficacia dubitare debet, sic
 quilibet, dum seipsum, suamque pro-
 priam infirmitatem, & indispositionem
 respicit, de sua gratia formidare, ac ti-
 mere potest, cum nullus scire valeat
 certitudine fidei, cui non potest subesse
 falsum, se gratiam Dei esse consecutum.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1547.

CAPUT X.

De acceptæ justificationis incremento.

Sic ergo justificati, & amici Dei, ac
 domestici facti, euntes de virtute in
 virtutem, renovantur, ut Apostolus in-
 quit, de die in diem, hoc est, mortifi-
 cando membra carnis suæ, & exhiben-
 do ea arma justitiæ in sanctificationem,
 per observationem mandatorum Dei,
 & Ecclesiæ, in ipsa justitia per Christi
 gratiam accepta, cooperante fide bo-
 nis operibus, crescunt, atque magis
 justificantur: sicut scriptum est: *Qui ju-
 stus est, justificetur adhuc.* Et iterum:
Ne verearis usque ad mortem justificari. Et

Eph. ix. 19.

Psal. 38. v. 8.

Coloss. 3. 5.

2. Cor. 4. 16.

Apoc. 22. 11.

Eccl. 18

L 2

rursus:

Sæcul XVI rursus: *Videtur quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum.* Hoc A.C. 1547. vero iustitiæ incrementum petit sancta *Jac. 2. v. 11.* Ecclesia, cum orat: da nobis Domine, fidei, spei, & charitatis augmentum. *Orat. Dom. post Pentec.*

CAPUT XI.

De observatione mandatorum, deque illius necessitate, & possibilitate.

Nemo autem, quamvis iustificatus, liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet, nemo temeraria illa, & a Patribus sub Anathemate prohibita voce uti, Dei præcepta homini iustificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis. Cujus mandata gravia non sunt, cuius jugum suave est, & onus leve. Qui enim sunt filii Dei, Christum diligunt: qui autem diligunt eum, ut ipsemet testatur, servant sermones ejus: quod utique cum divino auxilio præstare possunt: licet enim in hac mortali vita, quantumvis sancti, & iusti in levia saltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti, nam iustorum illa vox est, & humilis, & verax:

1. Joan. 3. v. 14.

Ibid. v. 3.

Matth. 11. 30.

Joan. 14. 15.

rax : *Dimitte nobis debita nostra.* Quo Sæcul XVI.
 fit, ut iusti ipsi eo magis se obligatos, A.C. 1447.
 ad ambulandum in via iustitiæ sentire Matth. 6.
 debeant, quo liberati jam a peccato, v. 12.
 servi autem facti Deo, sobrie, iuste, &
 pie viventes proficere possunt per Chri-
 stum Jesum, per quem accessum habue- Tit. 2. v. 12.
 runt in gratiam istam. Deus namque
 sua gratia semel iustificatos non deserit,
 nisi ab eis prius deseratur. Itaque ne-
 mo sibi in sola fide blandiri debet, pu-
 tans fide sola se hæredem esse constitu-
 tum, hæreditatemque consecuturum,
 etiamsi Christo non compatiatur, ut &
 conglorificetur. Nam & Christus ipse,
 ut inquit Apostolus: *Cum esset Filius Dei,* Hebr. 3. v. 9.
didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam,
& consumatus factus est omnibus obtem-
perantibus sibi causa salutis æternæ. Pro-
 pterea Apostolus ipse monet iustificatos,
 dicens: *Nescitis, quod ii, qui in stadio cur-* 1. Cor. 9.
runt, omnes quidem currunt, sed unus ac- v. 24.
cipit bravium? sic currite, ut comprehen-
dati. Ego igitur sic curro, non quasi in
incertum, sic pugno, non quasi aerem ver-
berans, sed castigo corpus meum, & in ser-
vitutem redigo, ne forte, cum aliis prædi-
caverim, ipse reprobus efficiar. Item Prin-
 ceptus Apostolorum Petrus: *Satagite, ut* 2. Petr. 1.
per bona opera certam vestram vocationem, v. 10.
& electionem faciatis: hæc enim facientes
non peccabitis aliquando. Unde constat,

Sæcul. XVI
A.C. 1547

eos Orthodoxæ Religionis doctrinæ ad-
versari, qui dicunt, justum in omni bo-
no opere saltem venialiter peccare: aut
(quod intolerabilius est) pœnas æter-
nas mereri, atque etiam eos, qui sta-
tuunt in omnibus operibus justos pecca-
re, si in illis suam ipsorum fœcordiam
excitando, & sese ad currendum in sta-
dio cohortando cum hoc, ut in primis
glorificetur Deus, mercedem quoque
intuentur æternam: cum scriptum sit:

Psal. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justifica-
tiones tuas, propter retributionem, & de*

Hebr. 11. Moyse dicat Apostolus, quod *respiciebat
in remunerationem.*

CAPUT XII.

*Prædestinationis temerariam præsum-
ptionem cavendam esse.*

Nemo quoque, quamdiu in hac mor-
talitate vivitur, de arcano divinæ
prædestinationis mysterio, usque adeo
præsumere debet, ut certo statuatur, se
omnino esse in numero prædestinato-
rum: quasi verum esset, quod justifica-
tus, aut amplius peccare non possit,
aut, si peccaverit, certam sibi resipi-
scentiam promittere debeat, nam, nisi
ex speciali revelatione sciri non potest,
quos Deus sibi elegerit.

CA-

CAPUT XIII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1547.*De perseverantiæ munere.*

Similiter a perseverantiæ munere, de quo scriptum est: *Qui perseveraverit Matth. 10. usque in finem, hic salvus erit.* Quod qui-^{et 24. 13.} dem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est, eum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet, & eum, qui cadit, restituere: nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur; tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent, Deus enim (nisi ipsi illius gratiæ defue-^{Philipp. 1. 6.} rint) sicut cœpit opus bonum, ita per-^{II. 13.} ficiet, operans velle, & perficere. Verumtamen, qui se existimant stare, videant, ne cadant, & cum timore, ac tremore salutem suam operentur, in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus, & oblationibus, in jejuniis, & castitate: formidare enim debent, scientes, quod in spem gloriæ, & nondum in gloria renati sunt, de pugna, quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia, Apostolo obtemperent, dicenti: *Debitorum sumus, Rom. 8. v. 12. non carni, ut secundum carnem vivamus, si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

L 4

CA-

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

CAPUT XIV.

De lapsis, & eorum reparatione.

Qui vero ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, cum excitante Deo, per pœnitentiæ Sacramentum, merito Christi, amissam gratiam recuperare procuraverint. Hic enim justificationis modus est lapsi reparatio, quam secundam post naufragium perditæ gratiæ tabulam sancti Patres apte nuncuparunt. Etenim pro iis, qui post Baptismum in peccata labuntur, Christus Jesus Sacramentum instituit pœnitentiæ, cum dixit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remisseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Unde docendum est, Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multo aliam esse a baptismali, eaque contineri non modo cessationem a peccatis, & eorum detestationem, aut cor contritum, & humiliatum; verum etiam eorundem sacramentalem Confessionem, saltem in voto, & suo tempore faciendam, & sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactionem, per jejunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto una cum

Matth. 2.
v. 15.

Joan. 20.

cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, quæ, ut sacræ literæ docent, Sæcul. XVI. A.C. 1547.
 non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati, Spiritum sanctum contristaverunt, & templum Dei violare non sunt veriti, de qua pœnitentia scriptum est: *Memor esto, unde excideris, Apoc. 1. age pœnitentiam, & prima opera fac.* Et iterum: *Quæ secundum Deum tristitia est, 2. Cor. 7. pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Et rursus: *Pœnitentiam agite. Et: Facite fructus dignos pœnitentiæ. Luc. 3. Matth. 3.4.*

CAPUT XV.

Quolibet peccato mortali amitti gratiam, sed non fidem.

Adversus etiam hominum quorundam callida ingenia, qui per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium, asserendum est, non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque articulo mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti: divinæ legis doctrinam defendendo, quæ a Regno Dei non solum infideles excludit, sed & fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces, cæterosque

Rom. 16. v. 18.
1. Tim. 1. v. 20.
1. Cor. 6.
Philipp. 4.
2. Cor. 12.

Sæcul. XVI que omnes, qui lethalia committunt
 A. C. 1547. peccata, a quibus cum divinæ gratiæ
 adjumento abstinere possunt, & pro
 quibus a Christi gratia separantur.

CAPUT XVI.

*de fructu justificationis, hoc est, de
 merito bonorum operum, de-
 que ipsius meriti ratione.*

Hac igitur ratione justificatis homini-
 bus, siue acceptam gratiam perpe-
 tuo conservaverint, siue amissam recu-
 peraverint, proponenda sunt Apostoli
 verba: *Abundate in omni opere bono, sci-
 entes, quod labor vester non est inanis in Do-
 mino: Non enim injustus est Deus, ut obli-
 viscatur operis vestri, & dilectionis, quam
 ostendistis in nomine ipsius. Et: Nolite a-
 mittere confidentiam vestram, quæ magnam
 habet remunerationem.* Atque ideo bene
 operantibus usque in finem, & in Deo
 sperantibus proponenda est vita æterna,
 & tanquam gratia filiis Dei per Chri-
 stum Jesum misericorditer promissa, &
 tanquam merces ex ipsius Dei promif-
 sione bonis ipsorum operibus, & meri-
 tis fideliter reddenda. Hæc est enim
 illa corona justitiæ, quam post suum
 certamen, & cursum repositam sibi esse
 ajebat Apostolus, a justo Judice sibi red-
 den-

1. Cor. 15.
v. 58.

Hebr. 6.
v. 10.

Hebr. 10.
v. 35.

2. Tim. 6.
v. 8.

dendam, non solum autem sibi, sed & ^{Sæcul. XVI.}
 omnibus, qui diligunt adventum ejus: A.C. 1547.
 Cum enim ille ipse Christus Jesus, tan-
 quam caput in membra, & tanquam vi-
 tis in palmites, in ipsos justificatos ju-
 giter virtutem influat, quæ virtus bo-
 na eorum opera semper antecedit, &
 comitatur, & subsequitur, & sine qua
 nullo pacto Deo grata, & meritoria es-
 se possent: nihil ipsis justificatis ampli-
 us deesse credendum est, quo minus ple-
 ne illis quidem operibus, quæ in Deo
 sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ
 statu satisfecisse, & vitam æternam suo
 etiam tempore (si tamen in gratia de-
 cesserint) consequendam, vere prome-
 ruisse censeantur: cum Christus Salva-
 tor noster dicat: *Si quis biberit ex aqua, Joan. 4.*
quam ego dabo ei, non sitiet in æternum; v. 14.
sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æ-
ternam. Ita neque propria nostra justitia,
 tanquam ex nobis propria statui-
 tur, neque ignoratur, aut repudiatur
 justitia Dei. Quæ enim justitia nostra
 dicitur, quia per eam nobis inhæren-
 tem justificamur, illa eadem Dei est,
 quia a Deo nobis infunditur per Christi
 meritum. Neque vero illud omitten-
 dum est, quod licet bonis operibus in
 sacris literis usque adeo tribuatur, ut
 etiam qui uni ex minimis suis potum *Matth. 10.*
 aquæ frigidæ dederit, promittat Chri-
 stus, *v. 42.*

stus,

Sæcul. XVI. ftus, eum non esse sua mercede cariturum, & Apostolus testetur, id, quod in præfenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operari in nobis: absit tamen, ut Christianus Homo in se ipso vel confidat, vel glorietur, non in Domino, cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Et quia in multis offendimus omnes, unusquisque sicut misericordiam, & bonitatem, ita severitatem & iudicium ante oculos habere debet, neque se ipsum aliquis, etiamsi nihil sibi conscius fuerit, iudicare: quoniam omnis hominum vita non humano iudicio examinanda, & iudicanda est, sed Dei, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique a Deo;

Rom. 2. v. 16. Qui, ut scriptum est, *reddet unicuique secundum opera sua.* Post hanc Catholicam de justificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter firmiterque receperit, justificari non poterit, placuit sanctæ Synodo hos Canones subjungere, ut omnes sciant, non solum quid tenere, & sequi, sed etiam quid vitare & fugere debeant.

§. LXXX.

Sæcul. XVI.
A. C. 1547.*Canones circa Justificationem.*

Hi Canones numero triginta tres ad-
jecta continent anathemata contrap. 764.

illos, qui doctrinam ibidem damnatam tenerent, fulminata, prout sequuntur.

Canon I. *Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo; anathema sit.*

II. *Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere, ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed ægre tamen & difficulter, possit, anathema sit.*

III. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit.*

IV. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit.*

V.

Sæcul. X.
A.C. 1547.

V. Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a sathana inductum in Ecclesiam, anathema sit.

VI. Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie & per se, adeo, ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.

VII. Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri: aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema sit.

VIII. Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit.

IX. Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse cum suæ voluntatis motu præparari, atque disponi, anathema sit.

X. Si quis dixerit, homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari, aut:

aut per eam ipsam formaliter iustos esse, Sæcul. XVI.
anathema sit. A.C. 1547.

XI. Si quis dixerit, homines justificari, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit.

XII. Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, anathema sit.

XIII. Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam, necessarium esse, ut credat certo, & absque ulla hæsitacione propriæ infirmitatis, indispositionis, & peccata sibi esse remissa, anathema sit.

XIV. Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi, & justificari ex eo, quod se absolvi, ac justificari certo credat, aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum, & hac sola fide absolutionem & justificationem perfici, anathema sit.

XV. Si quis dixerit, hominem renatum S. Aug. l. de & justificatum teneri ex fide ad credendum corrept. & se certo esse in numero prædestinatorum, gratia c. 13. anathema sit.

XVI.

Sæcul. XVI. XVI. Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum absoluta, & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit.

A.C.1547. Idem de bono persever. c. 13. XVII. Si quis justificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate prædestinatos ad malum, anathema sit.

Conc. Araus. 2. c. 25.

XVIII. Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit.

XIX. Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera, aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.

XX. Si quis hominem justificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ, sed tantum ad credendum: quasi vero Evangelium sit nuda & absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione observationis mandatorum, anathema sit.

XXI. Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse, ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut Legislatorem, cui obediant, anathema sit.

IVX

XXII.

XXII. Si quis dixerit, justificatum, ^{Sæcul. XVI.}
 vel sine speciali auxilio Dei in recepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, ^{A. C. 1547.}
 anathema sit.

XXIII. Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, nec gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur, & peccat, nunquam vere fuisse justificatum, aut contra, posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.

XXIV. Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam, anathema sit.

XXV. Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut (quod intolerabilius est) mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem, anathema sit.

XXVI. Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & sperare æternam retributionem a Deo, per ejus misericordiam, & Jesu Christi meritum, si bene agendo, & divina mandata custodiendo, usque in finem perseveraverint, anathema sit.

XXVII.

Hist. Eccles. Tom. XXXIX.

M

Sæcul XVI. A.C. 1547. XXVII. Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio quantumvis gravi, & enormi, præterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti, anathema sit.

XXVIII. Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul, & fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.

XXIX. Si quis dixerit, eum, qui post Baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere, aut posse quidem, sed sola fide amissam justitiam recuperare sine Sacramento penitentiae, prout sancta Romana, & universalis Ecclesia, a Christo Domino & ejus Apostolis edocta, hucusque professa est, servavit, & docuit, anathema sit.

XXX. Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori penitenti culpam ita remitti, & reatum aeternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere possit, anathema sit.

XXXI. Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu aeternæ mercedis bene operatur, anathema sit.

XXXII.

XXXII. Si quis dixerit, hominis iusti-
 ficati bona opera ita esse dona Dei, ut non
 sint etiam bona ipsius iustificati merita, aut
 ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab
 eo per Dei gratiam, & Jesu Christi meri-
 tum, cujus membrum est, fiunt, non vere
 mereri augmentum gratiæ, vitam æternam,
 & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia de-
 cesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ
 augmentum, anathema sit.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1547.

XXXIII. Si quis dixerit, per hanc do-
 ctrinam Catholicam de justificatione, a san-
 cta Synodo hoc præsentis decreto expressam,
 aliqua ex parte gloriæ Dei, vel meritis Je-
 su Christi nostri derogari, & non potius
 veritatem fidei nostræ, Dei denique, ac Je-
 su Christi gloriam illustrari, anathema sit

§. LXXXI.

*Ejusdem Concilii Decretum de Re-
 formatione.*

His absolutis prælegebatur Reforma-
 tionis Decretum hunc in modum Labbe Conc. coll. p. 768.
 quinque Capitibus comprehensum.

CAPUT I.

De residentia Episcoporum, necnon
 de pœnis contra transgresso-
 res latis.

Eadem sacrosancta Synodus, eisdem præ-
 sidentibus Apostolicæ Sedis legatis, ad
 M 2 resi-

Sæcul. XVI. A.C. 1547. *restituendam collapsam admodum Ecclesiasticam disciplinam, depravatosque in clero, & populo Christiano mores emendandos se accingere volens, ab iis, qui majoribus Ecclesiis præsunt, initium censuit esse sumendum: Integritas enim præsidentium salus est subditorum: Confidens itaque per Domini, ac Dei nostri misericordiam, providamque ipsius Dei in terris Vicarii solertiam, omnino futurum, ut ad Ecclesiarum regimen, (onus quippe Angelicis humeris formidandum) qui maxime digni fuerint, quorumque prior vita, ac omnis ætas a puerilibus exordiis, usque ad perfectiores annos, per disciplinæ stipendia Ecclesiasticæ laudabiliter acta, testimonium præbeat, secundum venerabiles beatorum Patrum sanctiones assumantur, omnes patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis, & cathedralibus Ecclesiis quibuscunque, quovis nomine, ac titulo præfectos monet, ac monitos esse vult, ut attendentes sibi, & universo gregi, in quo Spiritus sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vigilant, sicut Apostolus præcipit, in omnibus laborent, & ministerium suum implerent: Implere autem illud se nequaquam posse sciunt, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus a supremo Iudice requirendus, custodiæ minime incumbant: cum certissimum sit, non admit-*

ti Pastoris excusationem, si lupus oves co- Sæcul. XVI.
 medit, & Pastor nescit. Ac nihilominus, A C. 1547.
 quia nonnulli (quod vehementer dolendum
 est) hoc tempore reperiuntur, qui proprias
 etiam salutis immemores, terrenaque cœlesti-
 bus, ac divinis humana præferentes, in di-
 versis curiis vagantur, aut in negotiorum
 temporalium sollicitudine (ovili derelicto,
 atque ovium sibi commissarum cura negle-
 cta) se detinent occupatos: placuit sacro-
 sanctæ Synodo antiquos Canones, qui tem-
 porum, atque hominum injuria pœne in de-
 suetudinem abierunt, adversus non residen-
 tes promulgatos, innovare, quemadmodum
 virtute præsentis Decreti innovat, ac ulte-
 rius pro firmiori eorundem residentia, &
 reformandis in Ecclesia moribus in hunc,
 qui sequitur, modum statuere, atque sanc-
 re: Si quis a patriarchali, primatiali, me-
 tropolitana, seu cathedrali Ecclesia, sibi
 quocunque titulo, causa, nomine, seu jure
 commissa, quacunque ille dignitate, gradu,
 & præeminencia præfulgeat, (legitimo
 impedimento, seu justis & rationabilibus
 causis cessantibus) sex mensibus continuis
 extra suam Diocesim morando absuerit,
 quartæ partis fructuum unius anni, fabricæ
 Ecclesiæ, & pauperibus loci, per superio-
 rem Ecclesiasticum applicandorum, pœnam
 ipso jure incurrat. Quod si per alios sex
 menses in hujusmodi absentia perseveraverit,
 aliam quartam partem fructuum similiter

Sæcul. XVI applicandam eo ipso amittat : crescente ve-
 A. C. 1547. ro contumacia, ut severiori sacrorum Ca-
 nonum Censuræ subiciantur, Metropolita-
 nus suffraganeos Episcopos absentes, Me-
 tropolitanum vero absentem suffraganeus E-
 piscopus antiquior residens, sub pœna inter-
 dicti ingressus Ecclesiæ eo ipso incurrenda,
 infra tres menses per literas, seu nuntium
 Romano Pontifici denunciare teneatur, qui
 in ipsos absentes (prout cujusque minor,
 aut major contumacia exegerit) suæ su-
 premæ Sedis auctoritate animadvertere, &
 Ecclesiis ipsis de Pastoribus utilioribus pro-
 videre poterit, sicut in Domino noverit sa-
 lubriter expedire.

CAPUT II.

De residentia aliorum Ecclesiasti-
corum.

Episcopis inferiores quævis beneficia Ecclē-
 siastica personalem residentiam de jure,
 sive consuetudine exigentia, in titulum sive
 commendam obtinentes, ab eorum ordinariis,
 quemadmodum eis pro bono Ecclesiarum re-
 gimine, & divini cultus augmento, locorum,
 & personarum qualitate pensata, expe-
 diens videbitur, opportunis juris remediis
 residere cogantur, nullique privilegia, seu
 indulta perpetua de non residendo, aut de
 fructibus in absentia percipiendis suffragen-
 tur : indulgentiis vero, & dispensationibus
 tem-

temporalibus, ex veris & rationabilibus Sæcul XVI.
 causis tantum concessis, & coram ordina- A.C. 1547.
 rio legitime probandis, in suo robore per-
 mansuris: quibus casibus, nihilominus offi-
 cium sit Episcoporum, tanquam in hac parte a Sede Apostolica delegatorum, providere, ut per deputationem idoneorum Vicariorum, & congruæ portionis fructuum assignationem, cura animarum nullatenus negligatur, nemini, quoad hoc, privilegio, seu exemptione quacunque suffragante.

De cetero haud levis in Synodo altercatio exorta erat circa clausulam secundi hujus capituli, ubi sermone de episcopis injecto hæc verba inferebantur: *Tanquam Sedis Apostolicæ Delegati.* Hanc in rem Tirolensis Episcopus scriptum recitavit, in quo quemlibet Episcopum ex ipso suæ dignitatis gradu hac auctoritate ac jure potiri assererat: Pighinus autem Alifensis Episcopus, antea Rotæ Auditor, nec non Albensis Antistes veluti pro tribunali sedentes pronuntiabant, quod Tirolensis Episcopi propositio esset hæretica juxta Canonem *Omnes*, in quo Nicolaus II. omnes Ecclesias a Romana Sede institutas defini- vit: hinc ambo hujus Præfulis scriptum examinari petierunt. Ceterum hoc dubio tum exorto Legatorum primus minus circumspecte illi Præfuli injunxit, ut chartam suam porrigeret, hac autem

Sæcul. XVI
A.C. 1547
agendi ratione Synodi auctoritatem suæ potestati æquiparare videbatur. Verum, dum Episcopus scriptum suum exhibuerat, mox Montanus Cardinalis rem composuit, chartamque Antistiti restitui iussit.

Equidem extra dubium est, quod hæc clausula in Galliis Regis auctoritati advesetur; quippe in ejus Regno nullus quocunque pacto, ac modo Delegati Pontificii potestatem exercere valet, absque disserta Regis facultate a Parlamento curiis in tabulas relata, prout decisum fuit hoc anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo septimo die decima Martii (*). Porro haud diffiteri possumus, quod hoc Synodi decretum ad emendandos abusus hinc inde introductos summopere necessarium fuerit.

CAPUT III.

De correctione Cleri tam sæcularis, quam regularis.

Cetera capitula his verbis erant concepta: *Ecclesiarum Prælati, ad corrigendum subditorum excessus prudenter, ac dili-*

(*) Romæ omnes Franciæ Delegati liberam habent suum munus exercendi facultatem.

diligenter intendant: Et nemo secularis Clericus, cujusvis personalis, vel regularis Ordinis extra monasterium degens, etiam sui ordinis privilegii prætextu tutus censeatur, quo minus, si deliquerit, ab ordinario loci, tanquam super hoc a Sede Apostolica delegato, secundum canonicas sanctiones visitari, puniri, Et corrigi valeat.

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

CAPUT IV.

De Capitulis per Ordinarios visitandis.

Capitula Cathedralium, Et aliarum majorum Ecclesiarum, illorumque personæ, nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, concordiis, quæ tantum suos obligent auctores, non etiam successores, tueri se possint, quo minus a suis Episcopis, Et aliis majoribus Prælatibus, per se ipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur, adjunctis, juxta Canonicas sanctiones, toties quoties opus fuerit, visitari, corrigi, Et emendari, etiam auctoritate Apostolica, possint, Et valeant.

CAPUT V.

Episcopi omne munus Episcopale extra Diocesim exercere prohibiti.

Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii prætextu pontificalia in alterius Diocesi

M 5

cesi

Sæcul. XVI. *cesi exercere, nisi de ordinarii loci expressa*
 A.C. 1547. *licentia, & in personas eidem Ordinario*
subiectas tantum. Si secus factum fuerit,
Episcopus ab exercitio pontificalium, &
sic ordinati ab executione ordinum, sint ipso
jure suspensi.

Notes sur le
Concile de
Trente par
Rassicaud p.
 103.

Ex hoc Capitulo singularis elucet Synodi sollicitudo, qua ad stabiliendam Episcoporum Diœcesanorum jurisdictionem omnium priorum Canonum vim, ac Spiritum resuscitare fategit. Quantum vero ad illos attinet, qui eis circa S. Ordinum susceptionem subjiciuntur, ab hac Regula nonnullæ dantur exceptiones, quæ a Juris Pontificii Doctoribus asseruntur: id tamen extra dubium est positum, quod Ordinatio generatim sumpta pluribus innitatur rationibus, quæ a S. Patribus ac Conciliis allegantur, suntque sequentes: I. Episcopus in quavis Diœcesi est velut Ecclesiæ suæ Sponsus, cuncti vero Ecclesiastici, qui ei subjiciuntur, vel ab eo instituuntur, reputantur tanquam ejus Filii. II. Competit Episcopo jus feligendi, ac disponendi de suis Ministris, qui sunt veluti ejus Deputati ac Vicarii. III. Juris hujus violatio tollit unionem, ac charitatem, necnon instillat inferioribus seditionis pruritum, non sine illorum culpa, cum obedientiam legitimo suo Superiori debitam subtrahant.

Per-

Perlectis duobus hisce Decretis de Sæcul. XVI.
A.C. 1547.
justificatione, ac morum emendatione,
Synodus eadem confirmavit, Præses
vero ex Patribus sciscitatus est, num
eis placeret, ut proxima Sessio feria
quinta post primam subsequentis Jejunii
Verni Dominicam, quæ in decimam
tertiam mensis Martii diem incidit, ce-
lebraretur? ad quod omnes Patres re-
sponderunt: *Placet.*

§. LXXXII.

*Wirtembergensis Dux Cæsari recon-
ciliatus.*

Interea Cæsar unum ex Fœderatorum Sleid. comm.
l. 18 p. 648.
Et 657. edit.
ann. 1556.
Heff. hist. de
l'Emp. l. 3.
p. 86.
Bell. comm.
l. 24. n. 31.
præcipuis a Protestantium factione
abstraxit; quippe Albæ Dux cum copiis
suis a Cæsare in Wirtembergensem Du-
catum emissus reportatis pluribus victo-
riis hanc Regionem tanta strage deva-
stabat, ut Wirtembergæ Dux aliunde a
Palatino Principe sollicitatus, pacem a
Cæsare exorare consultissimum cense-
ret: Itaque hanc in rem missis ad eum
Legatis Cæsaris misericordiam implo-
ravit, unde concordiæ pactis utrinque
acceptatis pax inter ambos hosce Prin-
cipes firmata fuit. Porro vi hujus fœ-
deris Wirtembergæ Dux omnia Cæsa-
ris edicta servare jubebatur, simulque
spondebat, quod Protestantium socie-
tati

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

tati integra fide nuntium mittere, nullasque suppetias Saxonix Electori, & Hassix Landgravio ferre, insuper autem ad resarciendas belli, quod in ipsum erat motum, expensas ingentem velit pecuniarum summam persolvere. Pace sub his conditionibus die tertio Januarii firmata Balthasar Gutlingus, Ludovicus Frauenburgus, & Joannes Feslerus Ducis Oratores quinto post die Hailbrunam pervenerunt, pedibusque Cæsaris provoluti eidem hæc exposuerunt: *Princeps noster, quo minus ipse veniat, impeditur valetudine, & nobis negotium dedit, ut excusemus illum, ipse vero culpam profitetur palam, & dolet vehementer ob admissum facinus, & orat per omnia sacra, ut in gratiam recipiatur, & ne quid in ipsum, suumque populum statuatur acerbius: nam & ratas habet pacis conditiones, & ubi primum per valetudinem licebit, ipse deprecandi causa veniet, neque tanti beneficii memoriam unquam deponet.*

Ad hæc Cæsar per Navium respondit: Ducis submissionem acceptam habeo, eoquod culpam suam fateatur, illiusque veniam deprecetur, quam eidem quoque ejusque subditis concedo, ea tamen lege, ut pacis condiciones fervent, atque imposterum, officii sui memores sint. Porro vix Oratores absces-

abscefferunt, cum illico Memingani, ^{Sæc. XVI.}
 Bibracenses, Campidunenses & Ratis- ^{A.C. 1547.}
 bonenses (*) adventarent, atque in ge-
 nua procumbentes Cæsaris clementiam
 exorarent, supplices, ut suam illis re-
 bellionem ignosceret, ac pristino statui
 restitutos suis privilegiis frui permitte-
 ret. Hosce Deputatos postea Impera-
 tor Sacramenti Religione adegit, ut in-
 posterum fidem ipsi servarent, at-
 que a Saxonis, & Landgravii
 foedere desciscerent, nullamque so-
 cietatem contra Cæsareos inirent, sed
 integre Imperii leges adimplerent. Ex
 adverso hi sibi vicissim de sua secta
 haud immutanda caveri petebant: ast
 Navius sollicite eos monebat, nequam
 ejus rei mentionem facerent, cum Im-
 perator a belli initio jam fatis aperte vo-
 luntatem suam hac super re declarasset,
 ut proin haud amplius sibi caveri postu-
 larent: Id autem ideo factum creditur,
 ne Cæsar, si petito annueret, aliud a-
 gere videretur, quam quod promulga-
 tis literis erat professus, vel si id con-
 cederet, Pontificis offensionem incur-
 reret, qui isto bello Protestantium erro-
 res omnino extinctos esse voluit.

§. LXXXIII.

(*) Ex incuria hoc nomen *Ratisbonenses*
 fuisse intrusum existimamus, cum in ceteris Hi-
 storis legatur: *Ravenspurgii*.

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

§. LXXXIII.

*Genuensium conspiratio in Auriam
Ducem.*

Steid. l. 18. *p. 650.* *Belcar. l. 24.* *n. 32. p. 781.* *Thuan. hist. l. 3. n. 1.* Sub idem tempus Genuæ exorta est seditio, quæ Imperatorem anxii omnino curis agitabat; quippe Petrus Ludovicus Fliscus prosperæ, qua Andreas & Janetinus Auria potiebantur, fortunæ inimicus ad supremum Genuensium Imperii Magistratum trucidato utroque hoc Duce semetipsum evehere statuit; iniquo enim ferebat animo, quod Imperator Auriacam Familiam ad tantum potentiæ, atque auctoritatis fastigium evexisset, ut non modo ea ceteris Nobilibus superior evaderet, sed etiam urbem, totamque Rempublicam sibi subiectam teneret: Fliscus itaque, ut nefandum hoc propositum exequeretur, quosdam juvenes ad quævis crimina perpetranda proclives sibi conciliabat, noctisque beneficio usus cum illis abiit, ac Janetinum Auriam aggressus, illum sclopeto trajecit. Hoc rumore excitatus Andreas Auria defuncti Patruus, cum Podagræ doloribus detentus decumberet, a suis famulis deportatus fuga vitæ suæ consuluit. Jamjam tota ferme urbs seditiosorum, qui armis undique cincti ex Flisci Palatio eruperant, potestati erat subjecta, cum classici remiges

miges hoc tumultu animati catenas dis-Sæcul. XVI.
 rumpere, seque libertati asserere para- A.C. 1547.
 rent. Fliscus, ut fugitivos sisteret, pro-
 tinus accurrit, verum fatum ita tulit,
 ut ab una ad alteram triremem ascen-
 surus, fallente vestigio in mare prola-
 psus submergeretur, quin ejus corpus,
 ut in tenebris fieri amat, ab ullo tum re-
 periri potuerit, quocirca ex conjuratis,
 cum se Duce suo orbatos cernerent,
 audacia in metum versa nonnulli Massi-
 liam, alii vero ad alias urbes aufuge-
 runt, totaque conjuratio unius Viri in-
 teritu dissipata est: Cæsar vero ob Jan-
 netini Auriæ necem vehementer affli-
 ctus Farnesianos concitatæ hujus sedi-
 tionis infimulabat, magis tamen ini-
 quo ferebat animo, quod ei nuntiatum
 esset, Franciscum I. Galliarum Regem
 hujus conjurationis Auctorem extitisse,
 ab eoque clam Fliscum ad tantum faci-
 nus fuisse sollicitatum: Verum hæc su-
 spicio nulla ratione firmata videtur;
 quippe Franciscus adeo non victoriarum,
 quas Cæsar reportabat, cursum sistere
 studuit, ut nequidem in rem suam ver-
 tere intentus esset pacis fœdus nuper
 cum Angliæ Rege initum, cujus tamen
 opportunitate Mediolanensem Ducatum
 infestis armis invadere, nullo ferme ne-
 gotio potuisset.

§. LXXXIV.

Sæc. XVI.
A.C. 1547.

§. LXXXIV.

Saxonice Electoris progressus.

Steidan. l. c.
p. 653.

Quamvis interea Saxonie Elector captam Lipsiæ obsidionem solvere, a Cæsareis cogere, nihilominus Turingiam, & Misniam suis armis subegit, ac Mauritio omnem Regionem, quam occupaverat, eripuit; quinimo inito pacto admodum commodo Magdeburgicum Episcopatum sibi vendicavit, ac non sine animi sui lætitia percepit, quod Bohemi, quos Romanorum Rex in Mauritiæ opem submiserat, haud jussi domum redierint. Equidem Ferdinandus hosce fugitivos novis mandatis revocare studuit: ast Pragenses Regis iusta eludere intenti Senatium rogabant, ut Ferdinando exponerent, quod ipsorum libertas læderetur, atque aliunde salva honestate arma capere haud possent adversus Electorem, qui ejusdem Religionis societate ipsis junctus adversus Turcas olim eis suppetias tulisset. Ad hæc Ferdinandus respondit: *Electori non Religionis causa bellum insertur, sed ob rebellionem, id vero, quod de collatis in Turcam auxiliis dicunt, longe res aliter habet: nam ille, missis internuntiis ante menses aliquot, sollicitavit Turcam, ut Hungaricæ atque Bohemicæ bellum faceret, nec ampliores inducias largiretur, & quas*
pepi-

pepigisset, rescinderet, & ut commode res
ageretur, ipse se non defuturum spondet. Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

Verum omnes hæ rationes Bohemos
nullatenus commovebant, minus vero
ad mutandam animi sententiam induce-
bant, quocirca Imperator, cum suppe-
tias ferre a Mauritio impense rogaretur,
eidem validas copias ductore Alberto
Brandenburgico submitit.

§. LXXXV.

*Archiepiscopi Coloniensis causa tan-
dem composita.*

Eodem tempore Archiepiscopi Colo-
nienſis causa ad felicem exitum
fuit deducta; cum enim, ut supra me-
minimus, summus Pontifex hunc Ele-
ctorem anathemate percussum omni sa-
cra administratione privasset, necnon
jus ad Archiepiscopatum in Adolphum
Schauenburgum Comitem, quem sibi
antea Archiepiscopus Coadjutorem se-
legerat, transtulisset, hinc transmisso
diplomate omnes hujus Regionis Ordi-
nes admonuit, ut Adolphum tanquam
Archiepiscopum recipere, ac venera-
rentur, quinimo pro hujus sententiæ
executione ipsum quoque Cæsarem sol-
licitavit: quapropter Carolus tot victo-
riis de Protestantibus reportatis glorio-
sus, Coloniam Legatum decrevit Phi-
lippum

Hist. Eccles. Tom. XXXIX.

Sæcul. XVI. lippum Lalænum Geldriæ Præfectum
A.C. 1547. unacum Udalrico Viglio Zwichemo Ju-
 risconsulto. Hi convocatis Provinciae
 Ordinibus nomine Cæsaris imperabant,
 ut haud ultra priori Archiepiscopo ob-
 temperantes illius Coadjutorem tan-
 quam Antistitem suum agnoscerent, ei-
 que morem gererent, fidemque ac ob-
 sequium tanquam vero, ac legitimo suo
 Principi præstarent. Huic mandato Ec-
 clesiastici lubenti prorsus animo aquie-
 vere: ægre autem id a Nobilibus impe-
 tratum, atque ex his complures illustri
 loco nati, necnon urbium Deputati id
 sibi haud integrum esse obtendebant,
 causati, quod obedientiam denegare
 haud possent illi, cui fidem suam jure-
 jurando devinxissent, eique semper tan-
 quam probo Principi paruisent, nul-
 lamque contra eum querendi causam
 habuissent.

§. LXXXVI.

*Archiepiscopus Colonienſis sponte
 Electoratu se abdicans.*

Sleid. l. c.
Thuan. ut
supra.
Pallav. hist.
Conc. Trid.
l. 19. c. 13. n. 1.

Cum vero Cliviensis Dux utpote Co-
 loniensi urbi finitimus belli procel-
 las in suas ditiones effundi pertimesce-
 ret, totus in eo erat, ut tandem hæc
 lis componeretur. Hanc in rem quos-
 dam ablegabat viros, qui Ecclesiasticos
 indu-

inducerent, ne contra Archiepiscopum Sæcul. XVI.
A.C. 1547.
 procederent, donec tota rei series ei-
 dem fuisset exposita. Clericis ergo, ægre
 licet, annuentibus, Manderfchittus, &
 Nuenarius Comites Archiepiscopi ani-
 mum captantes eidem cuncta expone-
 bant mala, quibus suos populos expo-
 neret, si ejus ditiones bello vastarentur:
 cum ergo Archiepiscopus multo senio
 gravis, atque ad obsequendum pronus
 esset, facile eorum rationibus cessit, se-
 que sponte sua exiit Archiepiscopatu,
 suisque subditis fide, ac juramento re-
 missio Adolphum tanquam suum Succes-
 sorem coluit. Facta est hæc abdicatio
 die vigesima quinta Januarii, nec ta-
 men propterea indignatio in eum con-
 cepta derferbuit; quippe Fridericus e-
 jus frater olim Monasteriensis Episco-
 pus, ac Bonnensis Ecclesiæ Præpositus,
 sua pariter dignitate privatus fuit, ejus-
 que exuvias tulit Joannes Gropperus:
 Præterea eodem quoque tempore Stol-
 bergius Comes Coloniensis Ecclesiæ De-
 canus suo officio exutus urbe exula-
 re jussus est, eoquod prioris Electoris
 Archiepiscopi partes pertinacius tuere-
 tur. Postmodum cuncta, quæ Bucerus
 nequiter instituit, fuere abolita: Her-
 manus vero olim Archiepiscopus Wei-
 dam ad suum Comitatum secessit, ubi
 etiam hæresi suæ immortalis anno æta-
 tis

Sæcul. XVI. tis suæ octogesimo, & post suam abdi-
A.C 1547. cationem quinto misere periit.

§. LXXXVII.

*Franciae & Angliæ Reges ab Electore
 Saxoniae suppeticas ferre rogati.*

*Sleid. l. 19.
 p. 661.*

Cum Protestantium factio per victricia
 Cæsaris arma indies numero, ac
 potentia decresceret, Saxoniae Elector
 summo exinde dolore oppressus, ut de-
 perditis rebus suis confuleret, opem
 quæsit in clandestinis consiliis, quæ
 in Bohemia cum sectæ suæ fociis fove-
 bat. Hanc in rem unacum suis copiis
 ad Regni hujus fines contendit: cum
 vero illius insidias dextre provida Fer-
 dinandi Regis solertia præverteret, Fri-
 derici consilium in irritum cecidit, un-
 de Saxoniam repetere compulsus est:
 verum recens hæc adversæ fortunæ in-
 juria eo intimius animum ejus saucia-
 bat, quo funestiori, magisque rebus
 suis exitiali nuntio sub idem tempus per-
 ciperet, quod ejus Oratores cum exiguo
 prorsus successu legatione sua functi es-
 sent; nam hi primo in Franciam able-
 gati a Galliarum Rege subsidia petebant:
 ast pro Electore ipsorum Domino
 nonnisi centum aureorum nummum
 millia, ac totidem pro Landgravio im-
 petrarunt. Inde in Angliam delati ne-
 gotium

gotium suum haud expedire poterant, Sæc. XVI.
A. C. 1547.
cum Henricus VIII. Rex jam extremo
morbo affectus esset (*).

§. LXXXVIII.

Henrici VIII. Angliæ Regis obitus.

Quamvis interea Henrici Regis mor- Sleid. l. 18.
p. 653.
Thuan. l. 3.
num. 2.
bus indies magis magisque inva-
lesceret, nullus tamen eidem imminens
mortis periculum annuntiare audebat; Sanderus de
Schif. Angl.
lib. I. p. 224.
quivis enim verebatur, ne Rex pium
hoc monitum criminis loco haberet, nec
non eum castigaret juxta Parlamenti
legem, vi cujus omnes illi, qui Regi
instans mortis periculum indicare au-
derent, tanquam læsæ Majestatis rei pu-
niri jubebantur. Nihilominus quidam
Nobilis nomine Thomas Dionysius seu
Dennyus, qui Regi ab arcanis consiliis
erat, salutis necessitate audaciam acu-
ente

N 3

(*) Adversa hæc Henrici valetudo absque
dubio Protestantibus hisce Principibus a
pro tuenda hæresi contra Catholicos gerentibus
funesta accidit; cum sperare potuissent, quod
ab Anglo sanitati restituto, cum ipse jam Ec-
clesiam Catholicam tanquam hostis impugna-
set, validam opem impetraturi essent, ubi Re-
gem Christianissimum ducenta aureorum millia
effudisse, nuntiare potuissent.

Sæcul. XVI. ente Henricum monuit, paucas admodum vitæ horas adhuc ei superstites esse: A.C. 1547. Enimvero Henricus nocte sequenti, quæ vigesimam octavam Januarii diem a vigesima nona ejusdem mensis sejungit, anno ætatis suæ quinquagesimo sexto, Christi vero millesimo quingentesimo quadragesimo sexto extremum clausit diem, postquam triginta septem annos, novemque menses regnasset. Referunt Scriptorum nonnulli, quod moriens quædam pœnitentiæ signa ediderit, atque Ecclesiæ Catholicæ reconciliatus obierit: alii ex adverso testantur, quod de sua salute desperans schismati immortuus perierit. Forte etiam hæc pertinacia hujus Regis animum in extremo etiam vitæ suæ articulo obsedit; cum enim firma veræ Religionis, in qua omnes veritates immotæ certitudini innituntur, principia ex animo suo haud obliterare posset, falsam sibi Religionem fabricare statuit, in qua tamen ejus intellectus semper fluctuans necdum quid stabile invenire poterat.

§. LXXXIX.

Eduardus Henrici Filius ejusdem in Regno Successor.

Thom. l. c. **H**ujus Regis obitus per integros tres dies religioso prorsus silentio celabatur, atque

atque ad trigessimam primam Januarii ^{Sæcul. XVI.} A.C. 1547.
 diem Regii Senatus Sessiones celebra-
 bantur, ea vero die Cancellarius Re-
 gis mortem annuntians Parlamenti au-
 ctoritatem deinceps irritam fore decla-
 ravit. Sub idem tempus Eduardus Prin-
 cept, qui tum nonnisi nonum ætatis an-
 num agebat, Rex proclamatus fuit, ut
 suprema adimpleretur voluntas Henri-
 ci ejus Patris, qui Eduardum testamen-
 to Regni hæredem scripsit, eique sex-
 decim Tutores dedit, atque inter illos
 etiam selegit Eduardum Herforden-
 sem novi Regis Avunculum, atque oc-
 cultum Zwinglianæ hæresis Sectatorem,
 qui paulo ante Sommerfeti Dux crea-
 tus deinceps Regis, Regnique Prote-
 ctor fuit nominatus.

§. XC.

Francisci I. Galliarum Regis mors.

Nonnisi unico bimestri Franciscus Gal- ^{Thuan. l. 3.}
 liarum Rex Henrico VIII. vita su- ^{num. 2.}
 perstes fuit, nam istius obitus eundem
 gravissimo dolore affecit, non modo,
 quod pro Regni sui utilitate foedus non
 ita pridem cum Anglo initum magis fir-
 mare desideraret, sed vel maxime hic
 dolor processit ex eo, quod Henrici
 mortem tanquam sui obitus oppido vi-
 cini prodromum crederet, cum totidem

N 4

ferme

Sæcul. XVI. ferme ac Henricus ætatis suæ annos
A.C. 1547. numeraret, Hinc ab eo tempore ani-
 madvertebatur, quod Franciscus abie-
 cta pristina hilaritate semper subtristi
 vultu, ac mente ad mortem usque per-
 severaverit; ubi vero malignum quod-
 dam ulcus, quo jam aliquot annos la-
 borabat, lentam eidem febrim procrea-
 verat, extremo animi mærore confe-
 ctus languit, atque aucta demum febris
 violentia Rambulieti, quo iter habebat,
 subsistere coactus ibidem die trigesima
 prima Martii e vita migravit, postquam
 annos ætatis suæ quinquaginta duos,
 sex menses, ac novemdecim dies vixe-
 rat, Regnum vero tenuerat annos tri-
 ginta duos, si una dies, tresque men-
 ses demantur. Eo itaque defuncto cor
 ejus Altebruerii in Monialium Ecclesia
 marmoreæ columnæ impositum, cor-
 pus vero ad S. Dionysii ædes fuit tam
 solemnī pompa translatum, ut unde-
 cim omnino Cardinales, ac plusquam
 quadraginta Præfules funus comitaren-
 tur. Ibidem in exequiis Rex celebra-
 batur tanquam Princeps in pace cle-
 mens, in bello gloriosus, ac literarum
 artiumque liberalium Parens, & restau-
 rator, nec abs re id ei tribuebatur,
 quippe omni data occasione sua bene-
 volentia plures viros eruditione claros
 honorabat, eosque sua liberalitate om-
 ni

Hautebrue
 195.

ni ex parte in Franciam alliciebat. Por-
ro primis Nuptiis duxerat Claudiam
Ludovici XIII. & Annæ Britannæ fi-
liam, ex qua tres filios, ac totidem fi-
lias suscepit: ast præter unicam nomi-
ne Margaritam Emanueli Philiberto
Sabaudiaë Duci nuptam solus Henricus
Regni Successor vita superstes fuit.

Sæcul. XVI,
A.C. 1547.

§. XCI.

*Cæsar ob Henrici, ac Francisci Re-
gum mortem parum affligtus.*

Equidem Cæsaris animus anxius, qui-
bus agitabatur, curis Angliæ Regis
obitu haud parum fuerat liberatus, ve-
rum Francisci I. morte plenam adeptus
est mentis tranquillitatem. Nihilomi-
nus Francisci Regis, quem semper suum
inimicum noverat, meritis sequens e-
logium abnegare haud potuit: „Mor-
„ tuus est, aiebat, Princeps tam præ-
„ claris dotibus insignis, ut eo illustri-
„ rem a natura efformari posse, vix non
„ dubitem „ (*) Solemnes quoque Le-
gationes, Londinum æque ac Parisios
decrevit, ut dolorem suum utriusque
hujus

N 5

(*) De hoc Cæsaris elogio, necnon de
insigni funeris pompa Thuanus, quem Conti-
nuator unicam allegat, alium tenet silentium.

Sæcul. XVI. hujus Regis Successoribus testaretur,
 A.C. 1547 clam vero de eorum obitu lætabatur.

(*) Enimvero hi soli erant Principes, qui contra Cæsarem Saxoniae Electori valida militum subsidia suppeditare poterant, ac ipsemet Elector de hisce auxiliis palam gloriabatur, eaque certo sperabat; quinimo certissimum est, quod Imperator nunquam Saxonem debellasset, nisi utriusque hujus Regis auxilium ei illo tempore, ac rerum vicissitudine defuisset, ubi adhucdum de Bohemorum rebellione maxima sibi commoda pollicebatur.

§. XCII.

Argentineses ab Electore Saxoniae ad constantiam admoniti.

Hanc ob rem Saxoniae Elector ob armorum progressus, ac Cæsarei exercitus victorias haud multum con-

(*) An Continuator secreta cordis confilia in Carolo penetraverit, quis non dubitet? Si Cæsar clam fuit lætatus, unde ergo hoc gaudium internum cognosci potuit? Si de hac lætitia Continuator conjecturam facit ex eo, quod Imperator per hunc obitum faciliorem Ecclesiae hostes debellandi opportunitatem nactus fuerit, non Cæsari, sed illis, quos laudare nititur, injuriam infert.

territus videbatur; quippe die decima Sæcul. XVI. A.C. 1547.
 tertia Februarii datis ad Senatum Ar- Steid. l. 18. p. 654.
 gentinensem literis hujus urbis cives
 admonuit, ut suo officio satisfacere per-
 gerent, ac sese strenue defenderent:
 Ut vero eos ad animi firmitatem exci-
 taret, eis hæc exposuit: *Helvetiorum,*
atque Galliarum Regis auxilio eritis sufful-
ti, ego quidem cuperem vobis ipsis omnem
fidem, & amorem præstare, sed impedi-
or bello domestico, cui, si Deus finem fecerit,
meo commodo, non deero vobis: Magdebur-
gi convenerunt jam Saxoniorum Ordinum,
atque civitatum legati, cum his agam de iis
rebus, propter quas Francosurti fuerat in-
dictus conventus, & spero, futurum, ut
officium præsent civitates in primis, nec
a societate sese divelli patiantur.

§. XCIII.

*Ferdinandi Regis postulata ad
 Bohemos.*

Interea Ferdinandus Romanorum Rex Steid. l. 18. p. 655.
 die sexta Februarii unacum Filio suo,
 qui itidem Ferdinandi nomen gerebat,
 Lætmericiam Bohemæ oppidum in Re-
 gni finibus situm pervenit, ibidemque
 per duos dies Procerum, Regnique Or-
 dinum adventum præstolatus prolixam
 habuit orationem, qua eos ad opem
 Mauritio Duci quantocius ferendam
 horta-

Sæcul. XVI. hortabatur, eamque in rem fœdus cum
A.C. 1547. illo jam dudum initum, necnon aucto-
 ritatem Cæsaris, cui Bohemiæ Regnum
 esset beneficiarium, obtendebat, cum
 vero hoc pacto suam libertatem violari
 nonnulli assererent, eisdem Ferdinandus
 cautionem fecit, ne quid ipsis imposte-
 rum nocumento esset. Verum ad hæc
 Deputati responderunt hunc in modum:
*Res hujusmodi est, ut de ea nisi de omnium
 Ordinum consensu statui non possit, petimus
 igitur, ut primo quoque tempore conventus
 indicatur, in quo lege Regni, & more gen-
 tis legitime agi liceat: obiter nos hic antiquum
 cum Domo Saxonica fœdus in medium af-
 ferimus, quo impedimur, quominus con-
 tra Saxonem militemus: neque enim de Re-
 gni finibus, aut juribus eo bello agitur, ut
 Rex Bohemiæ ipse petitur, cui adesse & mi-
 litare eo casu tenemur. Hæc major pars
 assererat: ast alii offensionem Regis Ro-
 manorum veriti, præcipue autem Oppi-
 dorum Præfecti omne obsequium & fi-
 dem ultro obtulerunt, ac nisi ipsimet
 bello interesse possent, saltem se stipen-
 dia daturus polliciti sunt. Hos ergo
 Rex ob promptam obsequendi volunta-
 tem perbenigne excepit.*

§. XCIV.

Sæc. XVI.
A.C. 1547.*Bohemorum Fœdus ad conservandam
libertatem suam.*

Nihilominus Bohemiæ Nobiles, nec *Sleidan. &*
non Pragenſes incolæ miſſis itidem *Thuan. l. 6.*
Oratoribus Romanorum Regem urge-
bant, ut Ordinum comitia ad vigefimam
Martii diem indiceret: cum vero Rex
iis, quæ Lætmericiæ fuiſſent acta, in-
ſiſteret, & ab eis, ne quid interim novi
molirentur, poſceret: id unum ab eo
impetrare poterant, ut die octava Apri-
lis Pragæ Ordinum conventus ageretur,
ea tamen lege, vi cujus illi interea ne-
quaquam privatim congregarentur. Ve-
rum vix quarta a datis hiſcè literis di-
es effluxerat, cum ſe a Ferdinando de-
cipi dicerent, ac commune fœdus ſub
libertatis tuendæ prætextu inirent. Po-
ſtea conditis militaribus ſtatutis Caspa-
rum Phlugium Belliducem conſtituunt,
ejuſque Imperio triginta peditum, e-
quitumque duodecim millia in cunctis
Regni locis conducta ſubjiciunt. Ea-
propter Ferdinandus, Mauritius Dux,
& Auguſtus ejus frater quantocius Bo-
hemiam quoque infeſtis armis invade-
re cogebantur, cum vero hac de re in-
colæ quererentur, ac Duci ejusque fra-
tri præciperent, ut illico, quin ullum
infer-

Sæc. XVI. inferrent damnum, sese reciperent, ni
A.C. 1547. vero id facerent, se consilium ex tem-
 pore capturos minitarentur, hinc Rex
 dissimulata indignatione eis respondit,
 non esse, quod de exteris copiis in ip-
 sorum fines introductisquererentur, non
 id perverso factum consilio, sed unice,
 ut adventanti Imperatori sese facilius
 conjungere posset: posthac ipsos Pragen-
 ses, perinde ac si delectus in Regno ha-
 biti causam ignoraret, admonuit, ne
 sumptibus minime necessariis se, suos-
 que populares gravarent, cum aliunde
 Saxonix Elector jamjam recessisset.

§. XCV.

*Albertus Brandenburgicus ab Electore
 Saxonix cæsus, captusque.*

Sleid. p 657. Enimvero Saxonix Elector ineunte
 mense Martio Aldeburgo profectus
 Albertum Brandenburgicum, qui Roch-
 liciam tuebatur, aggredi statuit, ac
 prima diei luce certamen utrinque a-
 trox committitur: cum vero urbem tor-
 mentis quatere, atque irruptionem ten-
 tare Saxo juberet, præfidiarii deditio-
 nem facere compellebantur, polliciti, se per
 integrum semestre nullo pacto in fœde-
 ratos arma sumpturos. Hæc nonnisi
 levia erant hujus expeditionis commo-
 da; quippe majoris longe momenti erat
 capti-

captivitas Alberti Brandenburgici, quem Sæcul. XVI. A. C. 1547.
 Ernestus Luneburgicus interceperat; quæ
 qua forte elatus Elector mox Aldebur-
 gum reversus ad Bohemos, quos sibi
 tum devinctos servare studuerat, totam
 rei seriem perscripsit, simulque eis fidem
 fecit, quod oblata quacunque occasio-
 ne illis opem ferre paratissimus esset.

§. XCVI.

*Electoris consilium de innovando fœ-
dere cum Bohemis.*

Ut Elector datam promissi fidem ma-
 gis luculento comprobaret testimo-
 nio, ad Bohemos Nicolaum Minqui-
 tium ablegavit, cum vero hic morbo
 in itinere præpeditus esset, literis ad
 Bohemiæ Ordines datis eos rogavit,
 quatenus quosdam ex suis delegarent,
 qui cum eo agere possent. Hoc petito
 adacti, biduo post ad Electorem perscri-
 bunt, & de fœdere innovando fidem
 dant, orantque, ut adversus Mauritium
 & Augustum, qui ex Ferdinandi Regis
 impulsu in eorum fines hostiliter ingressi
 erant, auxilium ferret, eoquod ab eis
 ideo tantum bello peterentur, quod a
 Saxonico fœdere discedere noluis-
 sent. Præterea die trigesima Martii ad præ-
 cipuos Moraviæ Proceres literas da-
 bant, eosque hortabantur, ut vires suas
 junge-

*Thu. hist. l. 4.
 Sleid. l. 19. p.
 659. & 660.*

Sæcul. XVI. jungerent, & ad communem Patriæ sa-
A.C. 1547. lutem arma sumerent adversus impi-
 um hominum genus a Cæsare & Ro-
 manorum Rege in Germaniæ perniciem
 conductum; hoc enim nomine isti re-
 belles appellabant Italos, Hispanos,
 atque Hungaros. Verum Ferdinandus
 injuriam haud ultra dissimulare valens
 ad Pragenfes dedit literas minis plenas,
 eis imperans, ut omnino arma depo-
 nerent. Ast Regni Ordines per literas
 sese excusabant, contendentes, quod
 unice arma sumpsissent, ut contra in-
 justam vim eorum, a quibus eo absen-
 te invasi fuerunt, sese tuerentur: cum
 vero hi nullam unquam occasionem,
 qua Electori Saxonico favere possent,
 prætermittere voluerint, hinc etiam
 num Ferdinandum rogare præsumpe-
 runt, quatenus Cæsarem eo inducere
 vellet, ne Saxoni bellum inferat, sed
 potius amicæ disceptationi, quam ipsius
 petit, rem permittat.

§. XCVII.

Imperator Norimbergam ingressus.

Post hæc Norimbergenses, qui Smalca-
 dico licet foederi aggregati, neutri
 tamen parti sua studia addicebant, Cæ-
 sare *Thuan. ibid.* sare eo adventantem magnifica ad-
 modum pompa exceperunt, accurren-
 tibus

tibus propemodum innumeris, qui om-
nes sua eidem obsequia offerebant. Sub
idem tempus Elector Brandenburgicus,
qui pariter hucusque neutri parti adhæ-
rebat, Cæsari sua studia addixit, suum-
que filium natu majorem Joannem Ge-
orgium ad Romanorum Regem ablega-
vit, nec multo post Bambergenses Bo-
hemis, ac Saxonibus vicini suos quo-
que Oratores ad Carolum Cæsarem de-
creverunt, supplices, ut benigne im-
pedire vellet, ne quid damni ipsis ex fi-
de, & obsequio, quo ei addicti essent,
accederet. Imperator ducentos currus
muneribus pro more oblatis onustos ac-
ceptans Franciscum Comitem Landria-
num ad eos misit, ut hostium molimi-
na diligenter exploraret, ac civitatis
securitati prospiceret: Interea vero Fer-
dinandus unacum Mauritio Duce & Jo-
anne Georgio Brandenburgico Dresda
Egram pervenit, ubi Cæsar pridie ad-
ventans cum illis consilia communica-
vit.

§. XCVIII.

*Cæsaris ac Ferdinandi literæ ad
Bohemos.*

Ex eadem urbe Imperator die octava
Aprilis literas ad Bohemiæ Ordi-
nes dedit, hæc significans: *Hoc bello
non nisi Saxonem peto, nec Religionis causa*
Hist. Eccles. Tom. XXXIX. O sum-

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

Sæcul. XVI *sumpta sunt arma, sed ut in rebelles vindicarem: itaque peto, ut expedito commatu annonam subministratis, positisque armis ad quietem vos domum quamprimum conferatis.*
A.C. 1547. Præterea quadriduo post Rex in eandem sententiam ad eos scribit, & illos, ut ab armis discedant, monet; *alioqui se, & Cæsarem infestum habituros Bohemos, nec impunitam eorum temeritatem fore minitabatur:* quod vero in Saxonis gratiam scripserint, mirum sibi videri dicit, cum ille nec de Cæsare, nec de se, aut denique de regno sic esset meritus, ut ipsi nihil offensionem veriti pro eo deprecari debuerint, pro eo autem quod de conventu flagitent, se primo quoque tempore satisfacturum pollicetur. His acceptis literis, Nobiliores, qui Pragæ erant, per omnes regni partes quosdam emiserunt, qui rem in summum discrimen adductam significant, gravissimisque verbis moneant, ut omnes pro patriæ libertate quam primum in armis sint. Dein iidem ad Ferdinandum Regem scribunt, petuntque, ne tam ipse quam Cæsar moleste ferat, quod ipsi ad suam defensionem arma sumant, nec Saxonix Electorem aggrediantur, cum illum propter foedus, quod Bohemicum cum domo Saxonica intercedit, deferere non possint.

§. XCIX.

Sæcul. XVI.
A. C. 1547.*Irritus Clevice Ducis conatus in re-
conciliando Saxonice Electore.*

Dum hæc interea geruntur, Ferdinandus Romanorum Rex Joannem n. 3. Thuan. l. 4.
Dubravium Olmucensem Episcopum, n. 3.
aliosque Consiliarios ad Pragensem conventum ad diem decimam octavam Aprilis indictum ablegavit. His datum erat negotium, ut Ferdinandi absentiam apud Regni Ordines excusarent, præcipue vero eis injunctum erat, ut ab illis postulent, quatenus a fœdere cum Saxonie inito, & armis omnino discederent: si vero id exequi renuerent Bohemi, cunctis in hoc conventu decernendis sese opponere erant jussi, si vero morem gesserint, tunc permittere jubebantur, ut omnia ex præscripto legis agantur. Ceterum cum Protestantium factionem nupera Electoris Brandenburgici defectio imminuisset, ac Cæsar mira dexteritate Germaniæ urbes in officio contineret, pluresque civitates sua eidem obsequia deferre certatim accurrerent, ipseque Bohemorum tumultus nonnisi contemptu eludere videretur, hinc Saxonie Elector cunctis hisce adversis rerum suarum vicissitudinibus plurimum turbatus, opem in Sybilla conjuge sua quærere cogebatur.

Sæc. XVI.
A.C. 1547.

tur. Hanc igitur obsecrat, ut datis ad Cliviæ Ducem fratrem suum literis eundem rogaret, quatenus in Cæsaris castra veniret, ac pro Marito, si fieri posset, pacem exoraret. Accessit ille, multisque precibus, ac rationibus a Cæsare petiit, ut præteritorum veniam Saxoni concederet: verum Cæsar eidem acerbius respondit, non prius de venia Saxoni impetranda deliberatum iri, nisi prius ipse supplex se Cæsaris arbitrio permisisset, cum igitur Elector se spe sua dejectum cerneret, unice intentus erat, ut se propriis armis pro viribus tueretur, hinc ut eo facilius suæ ditionis terras trans Albim fitas propugnaret, summa celeritate flumen trajecit, totis viribus Cæsarianorum impetus arcerere paratus.

§. C.

Prima Synodi Congregatio post Sessionem sextam.

Pallav. hist. Conc. Trid. l. 9. c. 1. n. 5. **R**ebus ita constitutis interim Tridentinæ crebræ habebantur Congregationes, in quibus cuncta pro septima Synodi Sessione prævie disponerentur. Harum prima erat Generalis die decimo quinto Januarii celebrata, in qua de articulis ibidem discutiendis agebatur: Præprimis vero Montanus Cardinalis de

de nuperis dissensionibus questus, Pa-
 trum plerosque nimium obstinate suis
 sententiis inhærere affirmabat, & po-
 stea eos his verbis allocutus est: *Vigin-
 ti octo Patres decretum approbavere, qua-
 tuor vero petierunt præfigi titulum Synodi
 representantis universam Ecclesiam; toti-
 dem censuerunt, emendationem nonnisi inte-
 gram simul perficiendam esse, seu potius po-
 stularunt, ut mentio de Cardinalibus nomi-
 natim haberetur; aliis duodecim placuit,
 ne Episcopis non residentibus major irroga-
 retur pœna, quam quæ in jure communierat
 statuta: quinam fieri posset, ut in tanta va-
 rietate quidquam firmaretur?* His dictis,
 ea, quæ hucusque gesserat, vindica-
 vit, simulque Patres hortatus est, ut
 deinceps cum majori animorum, atque
 opinionum consensu res pertractare, ac
 quæstiones, antequam suas desuper sen-
 tentias proponerent, adeo mature di-
 scutere vellent, ut unanimis omni-
 um approbatio sperari valeat, cum
 vero, addebat, nihil magis justifi-
 cationi accedat, quam ipsa Sacramen-
 ta, hinc de iis in proxima Sessione a-
 gendum censeo, adhucdum tamen de
 tollendis residentiaë obstaculis consulta-
 tio haberi poterit.

Placuit ceteris hæc Cardinalis sen-
 tentia, cum vero hujus argumenti am-
 plitudo unius Sessionis angustias exce-

Sæcul. XVI
A.C. 1547
deret, hinc unanimis omnium erat opinio, quod præprimis *de Sacramentis in genere*, postea vero de quolibet speciatim agendum esset.

§. CI.

De fide, & Reformatione agendi methodus a Montano proposita.

Pall. l. c. n.
8. & 9.

Biduo post die decima septima Januarii Patribus in unum congregatis Legatus exposuit, quod abusus in Sacramentorum administratione occurrentes simul discuti possent, ut hac ratione ipsa etiam emendatio dogmati jungeretur. His addidit, ex Præsulibus, ac Juris Pontificii Doctoribus Congregationes esse formandas, in quibus in hasce corruptelas inquiri, remedia iisdem opponi, indeque decretum confici poterit: cum vero contingere posset, ut in eadem die simul de fide, ac de emendatione ejusmodi Congregationes haberentur, hinc decretum, ut conventui de dogmatibus instituto Cardinalis S. Crucis, illi autem, in quo de reformatione ageretur, Montanus præesset, atque horum Præsidum alter indicem describeret errorum, quos novi hæretici circa Sacramenta divulgarent: alter vero catalogum conficeret obstaculorum, quæ adhuc, quo minus Episcopi in

in suis Ecclesiis residerent, amovenda ^{Sæc. XVI.}
supererant. Hac agendi ratione Patres ^{A.C. 1547.}
mira voluptate afficiebantur, gauden-
tes, quod decretum *de Residentia* non-
dum fuerit suscepti laboris meta, sed
rursus ad examen sit revocandum; plu-
rima enim adhuc, quæ hac super re
proferrent, Patribus reliqua erant.

§. CII.

*Examen Articulorum de Sacramen-
tis in genere propositum.*

Eadem die in Congregatione generali ^{Paul Sarpi}
quidam exhibebantur articuli, qui ^{ex l. 2. p. 215.}
Lutheri, aliorumque hæreticorum libris
circa sacramenta fuere eo ex fine decerpti,
ut Patres in privatis conventibus ejusmo-
di propositiones examinare, ac declara-
re possent, num omnes hi articuli sint hæ-
retici, vel erronei, ut proin quæstio-
nes a proposito alienæ omitti valerent.
Hæ propositiones numero quatuordecim
nonnisi Sacramenta in genere respicie-
bant: Sunt autem sequentes *I. Sacra-
menta Ecclesiæ non sunt septem, sed quæ
vere, & proprie sic dicuntur, sunt pau-
ciora.*

*II. Sacramenta non sunt necessaria, &
sine eis, aut eorum voto, possunt homines
per solam fidem gratiam adipisci.*

Sæcul. XVI. *III. Nihilum e Sacramentis est aliud a-*
A.C 1547 *lio dignius.*

IV. Sacramenta novæ legis non conse-
runt gratiam non ponentibus obicem.

V. Sacramenta gratiam, aut remissio-
nem peccatorum nunquam conferunt, sed
sola Sacramenti fides.

VI. Sacramenta immediate post Ada-
mi prævaricationem a Deo fuerunt instituta,
per quæ collata est gratia.

VII. Per Sacramenta his solum gratia
datur, qui credunt peccata sibi remissa.

VIII. Gratia non semper datur in Sa-
cramentis, neque omnibus, quantum ad Sa-
cramenta pertinet, sed solum quando, &
ubi Deo visum.

IX. In nullo Sacramento imprimitur
character.

X. Minister improbus non confert Sa-
cramentum.

XI. Christiani omnes cujuscunque se-
cus, in verbo Dei & Sacramentis admini-
strandis pari sunt potestate.

XII. Cuique Pastori est potestas pro li-
bitu formas Sacramentorum augere, abbre-
viare, aut immutare.

XIII. Intentio Ministrorum non est ne-
cessaria, neque quicquam operatur in Sacra-
mentis.

XIV. Sacramenta propter solam fidem
nutriendam instituta sunt.

§. CIII.

Sæcul. XVI.

A.C. 1547.

Alii Articuli de Baptismo.

Hisce Articulis adjungebantur alii septemdecim, qui Baptismum concernentes hunc in modum proferebantur I. *In Ecclesia Romana non est verus Baptismus.*

II. *Baptismus est liber, nec ad salutem necessarius.*

III. *Non est verus Baptismus, qui datur ab hæreticis.*

IV. *Baptismus est pœnitentia.*

V. *Baptismus est signum externum, perinde ac terra rubra in agnellis, neque partem constituit justificationis.*

VI. *Baptismus est iterandus.*

VII. *Verus Baptismus est fides, quæ credit pœnitentibus peccata remitti.*

VIII. *In Baptismo peccatum non extirpatur, sed solummodo non imputatur.*

IX. *Baptismus Joannis eandem vim cum Baptismate Christi habuit.*

X. *Baptismus Christi non evacuavit Baptismum Joannis, sed promissionem ei addidit.*

XI. *In Baptismo immersio sola est necessaria: alii ritus ad libitum adhibentur, & sine peccato possunt omitti.*

XII. *Satius est infantium Baptismum omittere, quam eos, dum minime credunt, baptizare.*

Sæcul. XVI XIII. *Parvuli non sunt baptizandi,*
A.C. 1547. *quia fide propria sunt destituti.*

XIV. *In pueritia baptizati, cum ad annos discretionis pervenerint, sunt rebaptizandi, quia actum credendi non habuerunt.*

XV. *Parvuli baptizati, ubi adoleverint, interrogandi, an Baptismum suum ratum habere velint: si se nolle responderint arbitrio suo relinquendi.*

XVI. *Peccata post Baptismum commissa, sola recordatione, & fide suscepti Baptismi remittuntur.*

XVII. *Votum Baptismi non aliam admittit conditionem, quam fidei, immo vota alia omnia facit irrita.*

§. CIV.

Articuli de Confirmatione.

Postmodum examinandi proponebantur Articuli de Confirmatione, qui nonnisi quatuor erant. I. *Confirmatio non est Sacramentum.*

II. *Instituta fuit a Patribus, neque habet promissionem gratiæ divinæ.*

III. *Nunc otiosa est ceremonia, olim nihil aliud fuit, quam Catechesis, cum qui adolescentiæ erant proximi, fidei suæ rationem reddebant coram Ecclesia.*

IV. *Confirmationis Minister non est solus Episcopus, sed quivis alius Sacerdos.*

§. CV.

§. CV.

Sæcul. XVI.
A. C. 1547.*Examen de numero Sacramentorum.*

Omnes hi Articuli a Theologis fuerunt examinati in privatis, qui subsequēbantur, cœtibus, ac prima quidem propositio de numero Sacramentorum proscripta fuit tanquam hæretica, omniumque Patrum sententia erat, ea numero septem esse: Innitebantur vero utriusque Ecclesiæ Græcæ, ac Latinæ Traditioni, necnon auctoritati Synodi Florentinæ, quæ nihil nisi a Christo Domino, & Apostolis ad nos usque continuata serie translatum, traditumque definivit. Post hæc stabilito Sacramentorum numero ipsa Sacramenti significatio fuit explicata his verbis: Sacramenta sunt *signa quædam sensibilia, per ritus, ac ceremonias exhibita Christi nomine, quæ, si modo debitæ conditiones adsint, gratiam certissime conferunt supra eam mensuram, quam exigunt meritum, ac præparatio suscipientis.* Ex hac declaratione palam fit, cur inter Sacramenta non connumerentur *Abbatis benedictio, Cardinalium creatio, Martyrium, & hujusmodi plurima, nimirum quia priora duo gratiam non impertiuntur, tertium vero, si eam confert, certo quodam ritu, statisque ceremoniis haud exercetur, neque Christi*

si

Sæcul. XVI *si nomine, sed potius in Christi odium in-*
A. C. 1547. fertur.

Probe quidem observabat Joannes Carvaialus ex Ordine Minorum Observantium, quod Gabriel Biel sentiat, susceptionem Eucharistiæ peculiare quoddam Sacramentum esse, cum gratiam infundat; verum propterea revocata in dubium haud fuit sententia, quam ceteri Scriptores complexi sunt.

Agebatur etiam de ritu sacro lavandi pedes; de eo enim quidam sancti Patres talia proferebant, perinde ac si Sacramentum esset; ast explicatis eorum testimoniis ad comprobandum Sacramentorum septenarium numerum plura afferebantur: cum vero nonnulli hæc verba, *nec plura, nec pauciora*, addi dissuaderent, nec alia verba esse adhibenda censerent præter ea, quæ usurpaverant Florentina Synodus, & quarta Carthaginensis, necnon Hugo Victorinus, aliique antiquiores, his in responsis datum fuit: *Nondum ea tempestate emerferunt duæ illæ hæreses, quibus opprimendis opus erat illius veritatis explicatione, quæ in eorundem Conciliorum decretis implicite continebatur; altera quippe hæresis affirmabat, duo vel tria esse vera Sacramenta; altera vero asserebat Sacramentum esse quodlibet signum, quo in sacris literis gratiæ*
 pro-

promissio continetur, cujusmodi sunt etiam Sæc. XVI.
 eleemosyna, & precatio. A.C. 1547.

§. CVI.

Articulus de Sacramentorum necessitate discussus.

Postmodum Patres processerunt ad examen secundi articuli de necessitate Sacramentorum; quippe eorum nonnulli contendebant, quod potius distinguendum sit inter Sacramenta, cum non omnia cuius sint omnino necessaria, imo eorum quædam simul cum altero consistere nequeant, uti sunt Ordo & Matrimonium. Alii ex adverso censebant, hunc articulum sine discrimine esse damnandum duabus de causis, quarum prima erat, quia unius Sacramenti necessitas sufficit, ut totus articulus falsi redarguatur: altera vero ratio fuit hæc, quod omnia Sacramenta quodammodo sint necessaria, unum absolute, atque alterum ex hypothesis, seu sub conditione: verum cum Præsulum nonnullis haud congruum videretur, quod in stabiliendis fidei articulis æquivoca quædam deprehenderentur, hinc ut his quoque satisfaceret, in Canone addita fuere hæc verba: *si quis dixerit, Sacramenta non esse necessaria, sed superflua &c.* His enim verbis prior significatio magis ampla

pla

Sæcul. XVI A.C. 1547. pla reddebatur. Porro alteram hujus
 articuli partem, in qua sola fides ad
 obtinendam gratiam requiri dicitur,
 complures omittendam censebant, eo-
 quod illam solam non sufficere, jam in
 Sessione præcedenti definitum esset;
 quapropter Patres ad Baptismi votum
 transierunt. Hanc in rem Marinarus
 Carmelita hoc modo differuit: *Sacra-
 menti distinctio a voto Sacramenti est qui-
 dem vera, sed solis Scholasticis usitata, an-
 tiquis Patribus incognita, & difficultatibus
 obnoxia: in Actis enim Apostolorum in Cor-
 nelio Centurione erudiendo Angelus dixit,
 orationes ipsius Deo fuisse gratas, antequam
 Sacramentum Baptismi cognosset, aut alia
 in fide peculiaris. Etiam universa ejus fa-
 milia audita D. Petri concione, recepit Spi-
 ritum sanctum, priusquam edocti essent na-
 turam Sacramentorum, accepto quidem Spi-
 ritu sancto a divo Petro edocti Baptismum,
 verum antequam ipsis innotuisset, eum ne vo-
 to quidem potuerunt accipere. Latro quo-
 que jam moribundus solius Christi virtute
 tum illuminatus, cognitionem nullam Sacra-
 mentorum habuit, ut voto ea desideraret,
 multique sancti Martyres in ipso persecutio-
 nis ardore ad Christum conversi, dum con-
 specta aliorum constantia ipsi continuo divino
 Numine afflati ad lanienam abripiuntur, nemo
 dixerit, quod Sacramentorum cognitione
 imbuti Baptismum voto expetierint, nisi di-
 vina-*

vinatione id assecutus. Itaque satius est di-
 stinctionem eam relinquere scholis, & arti-
 culis fidei non inserere. Ast communis
 opinio cum hac pugnans tenebat, ut-
 cunque verba distinctionis nova essent, &
 scholastica, credendum tamen, Christum rem
 verbis significatam docuisse, proque Apo-
 stolica traditione habendam: quod autem at-
 tineret exempla Cornelii, latronis & Mar-
 tyrum, sciendum in Sacramento duo esse
 voti genera, unum explicitum alterum im-
 plicitum, & posterius hoc saltem esse neces-
 sarium, hoc est, si actualiter non voverint,
 voturos certe, si rem satis intellexissent. At-
 que hæc alii vera esse concedebant, sed ne-
 gabant obligare tanquam articulos fidei. Ita-
 que cum de difficultatibus his non pe-
 nitus convenirent, placuit eas ad Sy-
 nodum, id est, ad congregationem ge-
 neralem remittere.

Sæcul XVI,
 A.C. 1547.

§. CVII.

De Excellentia Sacramentorum.

Tertium Articulum de Sacramento-
 rum excellentia Patres unanimi suf-
 fragio falsum esse censebant, Theologi
 tamen omnes in hoc conveniebant, quod
 propter necessitatem, utilitatemque Ba-
 ptismus ceteris omnibus Sacramentis
 antecelleret; Matrimonium vero ratio-
 ne significationis, & quantum ad tem-
 poris

Sæc. XVI.
A.C. 1547.

poris Ordinem ac rationem: Confirmatio ob Ministri dignitatem; Eucharistia ratione adorationis ei debitæ, rei que ibidem contentæ, cum ipsum omnium Sacramentorum Auctorem complectatur, ceteris prævaleat: cum vero absque addita distinctionis particula decidere haud posset, quodnam ex illis foret dignissimum, hinc nonnulli hunc articulum omnino prætermittendum censebant, alii vero contendebant, explicandas esse omnes prærogativas, quibus unum Sacramentum alio dignius esse noscitur. Media tandem sententia prævaluit, vi cuius articulo hæc verba adderentur: *Secundum diversos respectus.* Huic opinioni potissima Patrum pars suffragabatur, ceterique, licet quasdam opponerent rationes, huic quoque sententiæ cedere cogebantur.

§. CVIII.

Modus gratiam per Sacramenta producendi examinatus.

Quartum Articulum, qui a Sacramentis non produci gratiam assererat, esse damnandum, una omnium Theologorum vox erat, acriter autem disputabatur de modo, quo hæc Sacramenta gratiam in non ponentibus obicem producant: cum vero modus explicaretur,

tur, quo gratia in Sacramentis conti-^{Sæcul. XVI.}
 neretur, adeo disputationis ardor Do- A.C 1547.
 minicanos inter, & Franciscanos inca-
 lescebat, ut Cardinalis S. Crucis ha-
 rum Congregationum Præses utrique
 parti silentium imponere cogeretur, af-
 firmans, hanc quæstionem rursus in fi-
 ne esse agitandam, atque indagandum,
 an hoc caput vel definire, vel omittere
 expediret. Insuper generales utrius-
 que hujus Ordinis Ministros rogabat,
 ut suis Religiosis inculcarent, quatenus
 seposito tam vehementi opinionis suæ
 studio, modestiæ ac charitatis curam
 in disputando luculentius proderent,
 illisque exponerent, eos Tridentum esse
 vocatos, ut noxias hæresum herbas e-
 vellerent, non item nimio altercandi
 studio novas seminarent. Præterea Le-
 gati Romam perscripserunt, quod hi
 Religiosi tantam sibi arrogarent liberta-
 tem, ut mala inde essent pertimescen-
 da, nisi prompto occurreretur remedio;
 cum enim Dominicani Franciscanis ob-
 jectarent, quod eorum opinio Lutheri
 hæresi faveret, si semel, inquebant Le-
 gati, harum dissensionum, ac censura-
 rum, quibus alii alios perstringunt, fa-
 ma disseminaretur, exinde piis omni-
 bus offensio, ipsi vero Synodo existi-
 mationis imminutio nascetur.

§. CIX.

Hist. Eccles. Tom. XXXIX.

P

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

§. CIX.

*An Sacramenta deleant peccata,
discutitur.*

Articulus quintus, utrum Sacramenta gratiam conferant, deleantque peccata, omittendus credebatur, eo quod superiori loco, ubi de fide actum, jam decisus esset. Verum Bartholomæus Miranda suggestit, quod Lutherus ex suo illo paradoxo, quod Sacramenta gratiam non conferant, nisi excitando fidem, hanc conclusionem elicuerit, Sacramenta veteris & novæ legis pari esse virtute, quam opinionem æquum est damnari, uti doctrinæ Patrum, & Ecclesiæ repugnantem, cum ii omnes asserant, Sacramenta antiquæ legis esse signa solum gratiæ; novæ autem, gratiam & continere & producere. Conclutioni huic nemo certe refragabatur, & Franciscani tantum objectabant, mentionem legis veteris non faciendam, sed Legis Mosaicæ: siquidem inquiebant ipsi, circumcisio ipsa conferebat gratiam, sed Sacramentum Mosaicum non erat. tum quia Christus ipse dixerit non esse a Moyse, sed a Patribus; tum quia alia Sacramenta ante Abrahamum gratiam conferebant, & procurabant. Dominicani autem replicabant, quod D. Paulus clare dixerit, quod Abrahamus acceperit circumcisionem tantum

tantum in signum: id ipsum vero significaret Sæcul. XVI.
fidei iustitiam, atque, cum ille primus omni- A. C. 1547
um esset, cui data fuerit, hoc innuat, circum-
cisionem in signum tantummodo fuisse insti-
tutam.

Porro ut hæc disputationes cohibe-
 rentur, declaratum, haud consultum
 fore, ut in præsentis decreto rursus hæc
 quæstio moveretur, cum in priori Ses-
 sione jam esset decisa.

§. CX.

An Sacramenta statim post Adæ pec-
catum instituta conferant gratiam?

Articulum sextum Dominicani dam-
 nandum censebant asserentes, esse
 proprium Sacramentorum Evangelicorum
 conferre gratiam, a veteribus autem nequa-
 quam obtentam, nisi virtute devotionis: quæ
 fuit D. Thomæ opinio. Ad opinionem
 suam firmandam citabant decisionem
 Concilii Florentini, asserentis Sacramen-
 ta Legis veteris non conferre, sed præfigu-
 rare eam gratiam, quæ passione Christi es-
 set conferenda. Cum vero D. Bonaven-
 tura & Scotus tenuerint, circumcisio-
 nem contulisse gratiam ex opere opera-
 to, immo Scotus asseruerit, illico post
 peccatum Adami institutum fuisse Sa-
 cramentum, quo infantibus data erat
 gratia ipsius Sacramenti virtute, id est,

Sæcul. XVI. ex opere operato, hinc Franciscani affirmabant, quod articulus hic veritatem contineat, neque Censuræ subijci possit. Porro opinionis suæ fundamentum ex eo petebant, quod alias, cum D. Thomas dicat: *Infantes ante Christum salvatos fuisse fide paterna, non vi Sacramentorum*: inde sequeretur deterioris esse Christianos conditionis: cum enim nunc parvulos fides paterna sine Baptismo nihil juvet, atque D. Augustinus affirmet, parvulum, qui tunc, cum in ulnis Patris ad Baptismum gestaretur, expiraverat, damnatum; si illis temporibus sola parentum fides sufficiebat, certe liberi Christianorum haberent, quod de deteriori sua sorte querantur. Verum inter has difficultates ita propositum, ut Articulus tanquam probabilis omitteretur.

§. CXI.

De Charactere Sacramentorum.

Pallav. hist. Conc. Trid. l. 9 c. 5. n. 1. & seq. In septimo Articulo dicebatur: *Per Sacramenta his solum gratia datur, qui credunt peccata sibi remissa.* In octavo autem: *Gratia non semper datur in Sacramentis, neque omnibus quantum ad Sacramenta pertinet, sed solum quando, & ubi Deo videtur.* Verum utramque hanc doctrinam omnino damnandam esse, Patres unanimi calculo decidebant: circa nonum

nonum autem de charactere Hierony-
 mus Oleaster ex Ordine S. Dominici na-
 tione Lusitanus definiendum esse cense-
 bat, quod omnia Sacramenta qualitatem
 spiritualem imprimant, antequam superve-
 niat gratia, quæ est duorum generum, una,
 quæ nunquam potest obliterari: altera, quæ
 amitti, & recuperari potest: illa vocatur
 character, hæc est ornamentum quoddam.
 Sacramenta, quæ priorem conferunt, non
 iterantur, quia illorum effectus semper du-
 rat: at quæ ornatum dant, ea repetuntur,
 effectu scilicet eorum semel omisso.

Sæcul XVI.
 A.C. 1547.

Verum hujus opinionis nulla habita
 est ratio; cum enim Synodi Patres pro-
 bene nossent, quod nos in sacris literis fre-
 quenter a Deo signari, sigillum Spiritus
 sancti imprimi, suæque hæreditatis pig-
 nore donari dicamur, idque tam Græ-
 cæ quam latinæ Ecclesiæ Patres nomi-
 natim tribus Sacramentis Baptismo,
 confirmationi, & Ordini attribuant,
 hinc inde concludebant, quod hæc tria
 duntaxat Sacramenta Characterem im-
 primant, ac propterea iterari nequeant.
 Hanc doctrinam Seripandus Augusti-
 nianorum Generalis non modo tanquam
 articulum maxime probabilem, ut non-
 nulli autumabant, sed etiam certissi-
 mum esse pronuntiabat.

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

§. CXII.

De probitate in Sacramentorum Mi-
nistris necessaria.

S. Aug. l. 3. de Bapt contra Donat. c. conferre Sacramentum, omnium consensu 10. ide. tract. 5. in Joan. Et l. 3. contra Crescon. c. 6. Et 7. **D**ecimus articulus, in quo hæretici dicebant: *Ministrum improbum non conferre Sacramentum*, omnium consensu fuit damnatus: præterquam enim, quod hic error inter Wiclefi hæreses a Concilio Constantiensi jam fuisset confixus, divus quoque Augustinus hanc quæstionem in suis libris contra Donatistas speciatim pertractans ita effatus est: *Non est autem aqua profana, Et adultera, super quam nomen Dei invocatur, etiamsi a profanis, Et adulteris invocetur: quia nec ipsa creatura, nec ipsum nomen adulterum est: jam vero Baptismus Christi verbis evangelicis consecratus, Et per adulteros, Et in adulteris sanctus est, quamvis illi sint impudici, Et immundi; quia ipsa ejus sanctitas pollui non potest, Et Sacramento suo divina virtus assistit, sive ad salutem bene viventium, sive ad perniciem male utentium: cum vero solis, vel etiam lucernæ lux, dum per cænosa diffunditur, nihil inde sordium contrahit, num ergo Baptismus Christi potest cujusquam sceleribus inquinari?*

§. CXIII.

§. CXIII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1547.

*De promiscuis Sacramentorum
Ministris.*

In undecimo Articulo Novatores omnibus cujuscunque sexus Christianis Sacramenta administrandi potestatem attribuebant; hanc vero doctrinam Patres tanquam sacris literis, traditioni, atque universalis Ecclesiæ usui adversam unanimi voce damnarunt: Certum igitur est, quod excepto Baptismatis Sacramento, quod urgente necessitatis eventu quilibet homo administrare valet, quidam in Ecclesia Ordo sit stabilitus, vi cujus Sacramentorum Ministri specialiter a Deo vocantur juxta illud D. Pauli: *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, dein virtutes, exinde gratias curationum &c.* Eadem hæc doctrina unanimi fulcitur sanctorum Patrum consensu, qui in suis operibus nunc de Episcopis, nunc de Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, aliisque mentionem faciunt.

§. CXIV.

De mutatione in forma Sacramentorum.

Cum hæretici in Articulo duodecimo

P 4

affir-

Sæcul. XVI. affirmassent, *cuique Pastori esse potestatem*
A.C. 1547 *pro arbitrio formas Sacramentorum augere,*
abbreviare, aut immutare, hinc Theolo-
 gi circa Sacramentorum formas distin-
 ctionem esse adhibendam censuerunt,
 eoquod hæc vox *Forma* duplicem sen-
 sum admitteret: ex his unus est, quo
 denotantur *verba essentialia Sacramenti.* se-
 cundum quod dicitur, *omnia Sacramenta*
habere materiam suam, elementum sensui ex-
positum, & formam, verbum: alter vero
 est, quo *formæ* appellatione intelligitur tota
 formula, aut ritus administrandi, qui mul-
 ta non necessaria, ad decorem tantum adhi-
 bita complectitur: Unde duos Canones con-
 texendos suadebant, quorum priore hære-
 seos damnandus esset ille, qui asserit formam
 posse mutari, quando a Christo sit instituta,
 juxta alterum vero sensum, etsi res acciden-
 tales mutationem possint admittere: ubi ta-
 men ritus aliquis auctoritate publica est in-
 troducdus, aut usu communi receptus, &
 confirmatus, non est penes unumquemque
 illum immutare.

§. CXV.

De intentione Ministri.

Pallav. l. 9.
c. 6. n. 1. &
seq. **A**rticulus decimus tertius de intentio-
 ne Ministri majori solertia, quam
 ceteri ob Ambrosii Catharini Minoren-
 sis Episcopi opinionem fuit agitatus; non
 enim

enim fas erat discedere ab auctoritate ^{Sæcul. XVI.}
 Concilii Florentini, quod Ministri in- ^{A.C. 1547.}
 tentionem esse necessariam disertis ver-
 bis definierat: ex altera vero parte cu-
 jusmodi intentio requireretur, non ita
 expedita erat explicatio, cum duo in-
 tentionum genera dentur, quarum una
 dicitur *actualis*, qua *actu* aliquid volu-
 mus, & actu desuper reflectimus: al-
 tera vero appellatur *virtualis*, estque il-
 la, qua Minister agit ex intentione actu
 habita, nec per actum contrarium in-
 interrupta, quamvis Sacramentum con-
 ferre actu non cogitet. Denique tertia
 vocatur *habitualis*, quæ nihil aliud est,
 quam facilitas conferendi Sacramenta,
 quia ea aliquis jam sæpius administra-
 vit, quin ad id, quod agit, se reflectat.
 Quænam igitur ex hisce tribus necessa-
 ria foret, diu disceptatum; censebant e-
 nim omnes, quod habitualis non sufficiat,
 quia per illam, nec quædam advertentia,
 nec deliberatio intervenit, atque in homi-
 ne etiam dormiente, ebrio, ac insano,
 qui tamen nec deliberare, nec se refle-
 ctere valet, reperiri potest. Porro opti-
 mam quidem asserebant intentionem a-
 ctualem, nilque a Ministris omittendum,
 ut illam præmittant, eam tamen ad
 Sacramentorum valorem haud necessa-
 riam existimabant, eo quod D. Thomas ^{D. Th. 3. p. 9.}
 tradat, *quod hoc non sit totaliter positum* ^{64. art. 8. ad}

P 5

in 3.

Sæc. XVI.
A.C. 1547.

in hominis potestate, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare, secundum illud Psalmi 39. Cor meum dereliquit me. Denique virtualis sufficere censetur, cum proprie actualis videatur esse intentio, quæ Sacramentorum administrationem præcessit, & adhuc dum in Ministro perseverat eo momento, quo confert Sacramentum, cum per actionem contrariam non sit revocata.

Nihilominus communis erat solutio, quod in administratione Sacramentorum adhibeatur intentio faciendi id, quod facit Ecclesia, seu materiam formæ applicandi, hancque cum illa unendi.

§. CXVI.

*Catharini sententia de intentione
Ministri.*

Hoc autem modo Ambrosius Catharinus hanc intentionem explicavit: *Lutheranorum, inquit ipse, non admodum interest, an vera Sacramenta percipiant, cum nullam aliam virtutem iis adscribant, quam excitandi fidem, quæ alia quoque ratione posset excitari: quinimo asserunt, Sacramenta non esse necessaria, neque concedunt, malitiam impii Ministri posse nocere, quando illi animus non est Sacramentum*

mentum verum conferendi, cum ad id respiciendum sit, quod fidelis recipit, non ad id, quod a Ministro ei donatur: Catholici autem longe diversa sunt conditione: ab iis enim vere Sacramento tribuitur efficacia ad gratiam ei donandam, qui obicem non ponit, quod rarissime occurrit, ut alia via gratia obtineatur. Certe parvuli, & homines mentis consiliique parum compotes, salutem alia ratione non adipiscuntur. Etiam in plerisque hominibus adeo debilis, ac tenuis est dispositio, ut absque Sacramento ad salutem nunquam sufficeret. Quod si in pauculis aliquot, qui instar phœnicum raræ sunt in terris aves, dispositio perfecta reperitur, majorem tamen illi gratiam per Sacramentum obtinent: quare Christianorum valde interest, ut certo sciant, quod verum, & efficax Sacramentum accipiant. Si Sacerdos, curam gerens quater aut quinquies mille animarum, esset incredulus, sed una insignis hypocrita, atque in pœnitentibus absolvendis, parvulis baptizandis, & Eucharistia consecranda, secretam in animo foveret intentionem illud omnino non faciendi, quod facit Ecclesia; dicendum, & parvulos iri damnatum, & pœnitentes non iri absolutum, ac ceteros omnes nullum Communionis fructum percepturos. Neque juvat dicere, defectum illum a fide suppleri, nam in parvulis omnino non supplet: in aliis vero juxta doctrinam Catholicam non potest eundem esse

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

rum

Sæcul XVI. *Etum præstare, quem Sacramentum. Quod*
A C. 1547. *si id præstat in casu malitiæ Ministri, quæ*
potest etiam esse ordinaria, quid vetat, quin
semper id ipsum operetur? Atqui tantam
virtutem tribuere fidei, est demere eam Sa-
cramentis, & in opinionem Lutheranam in-
currere. Id ille diligenter considerandum pu-
tabat, quantam animi ægritudinem paritu-
rum esset patri, tenero erga filium moribun-
dum affectu, si de Sacerdotis natum suum
baptizantis intentione dubitare illi in men-
tem veniat. Deinde, si quis ætate prove-
ctior sit baptizandus, & in se debilem, &
imperfectam sentiat inclinationem, si forte
eum incefferit cogitatio, Sacerdotem, qui se
Christianum ementiatur, velle habere illum
pro oblectamento, neque ullum illius bapti-
zandi, sed abluendi, aut ad ludibrium im-
mergendi, animum habere, quam inquis erit
homini isthac anxietate animus? idemque in
delictorum confessione, & Eucharistiæ par-
ticipatione evenire posse ecquis non videt?
Quia vero objici poterat, ejusmodi ca-
sus esse de raro contingentibus, ad vota
confugiebat Episcopus, optans, ut ita
esset, neque depravato hoc sæculo ve-
rendum foret, ne nimis sint frequentes.
Esto, inquiebat, ut id rarissime eveniat,
& semel tantum. Detur impius quispiam
Sacerdos, qui fingat, neque animum habeat
ministrandi parvulo verum baptismum. Par-
vulus hic vir factus, creetur Episcopus po-
pulo-

pulosæ alicujus civitatis, ac provinciam eam multo numero instituat; hic necessario statuendum est, Episcopum, qui baptizatus non fuerat, non potuisse consecrari, ac nihilo magis eos, quos sacris ille initiavit, ita in magna ea civium frequentia, neque fuisse ministratum Eucharistiæ Sacramentum, neque confessionis: ista enim sine Sacramento ordinis non constaret, nec illud sine Episcopo, nec ad sacros Ordines admittitur, qui non est baptizatus, atque adeo ex unius Ministeri in unica actione malitia, infinitæ Sacramentorum nullitates eveniunt. Ceterum qui existimaverit, Deum in tanta populi frequentia defectum hunc omnipotentia sua resarcire, & rebus quotidie accidentibus, remediis extraordinariis prospicere; an non hominibus facilius persuadebit, Deum pro sua providentia præcavisse, ne hujusmodi in vita hominum accidentia incurrerent? Majestas enim divina incommodis omnibus prævertit, statuendo, ut Sacramentum illud sit verum, quod juxta ritum a se institutum administratur, quomodocunque Minister in animo interiore sit affectus. Addebat porro Episcopus: Sententiam hanc cum communi Theologorum doctrina, aut Florentini Concilii determinatione non pugnare; quæ in Ministro intentionem requirunt, cum illorum verba de interna non sint accipienda, sed de ea, quæ opere externo sese prodit, li-

cet

Sæcul. XVI;
A.C. 1547.

Sæcul. XVI. cet interior huic esset contraria, atque ita
A.C. 1547. omnia incommoda tolli inquebat, quæ alio-
 qui essent innumerabilia. Ad sententiæ
 suæ confirmationem multa alia attulit
 argumenta, & tandem exemplum a
 Sozomeno recitatum. Nam pueri aliquot
 Alexandriae prope mare colludentes, etiam
 imitandis iis actionibus sese dederunt, quas
 in Ecclesia fieri observassent, in his Atha-
 nasius per jocum designatus Episcopus, ba-
 ptizavit aliquot e parvulis, qui aqua Ba-
 ptismatis neutiquam ante tincti fuissent. Res
 ab Alexandro Episcopo Alexandrino, ce-
 lebris memoriæ viro, intellecta eum vehe-
 menter conturbavit. Parvuli autem inter-
 rogati, quid fictitius ille Episcopus ipsis
 fecisset, rei ordinem exposuerunt, & Ale-
 xander, comperto, ritum universum Eccle-
 siæ in ea actione servatum, de aliorum Sa-
 cerdotum consilio Baptismum probavit, quæ
 certe approbatio defendi non posset, si inten-
 tio, quam alii requirunt, esset necessaria.

§. CXVII.

*Articuli de Baptismo ad examen
vocati.*

Denique Sectatores in Articulo deci-
 mo quarto de Sacramento in ge-
 nere hæc effutiebant: *Sacramenta pro-
 pter solam fidem nutriendam instituta sunt.*
 Verum hæc doctrina sine ulla difficul-
 tate

tate ab omnibus fuit damnata propter Sæcul XVI.
 ea, quæ jam antea circa ceteros arti- A C. 1547.
 culos fuere decisa.

Postmodum examini subiciebantur articuli de utroque Baptismate, ac primæ quidem duæ propositiones nemine reclamante fuerunt proscriptæ, circa tertiam quoque convenere Patres, quod Baptismus ab hæreticis collatus valeat, dummodo materia, forma, & intentio a Concilio Florentino requisita adhibeatur. Demum plurimorum opinio erat, quartum articulum, ubi dicebatur, quod *Baptismus sit pœnitentia*, omnino esse prætermittendum, eo quod Evangelistæ testentur, quod *D. Joannes prædicaverit Baptismum pœnitentiæ, & D. Paulus Cap. VI. ad Hebræos, Baptismum Pœnitentiæ nomine nuncupaverit. Et quoniam e Patribus plerique ad eundem modum essent locuti, hinc articulus damnandus non videbatur, nisi diceret, quod Baptismus sit Sacramentum pœnitentiæ.*

Pariter articuli quintus, sextus, septimus, atque octavus fuere damnati, ex adverso levis exorta est difficultas circa nonum, & decimum de Baptismate S. Joannis, uterque tamen fuit damnatus, eo quod hæretici hunc cum illo Christi Domini Baptismo æquare viderentur, quamvis ex ipsis sancti hujus
 Præ-

Sæc. XVI.

A.C. 1547.

Matth. 3.

v. 11.

Præcursoris verbis manifeste discrimen deprehendatur, cum dicit: *Ego quidem baptizo vos in aqua, qui autem post me venturus est, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni*, perinde ac si diceret, Baptisma, quod vobis conferetur, non erit tantummodo, sicut meum, solus exterior ritus in corporibus vestris exercitus, sed ipse vobis dabit Spiritum sanctum, qui tanquam ignis penetrabit usque ad intima animarum vestrarum, easque a suis maculis emundabit. Plura insuper afferebantur Patrum testimonia, ex quibus comprobatum fuit, quod *Baptismus Joannis fuerit in remissionem peccatorum secundum spem*, cum interim ipsa remissio duntaxat impetranda esset per Baptismum Christi, ad quem illud Joannis Baptisma præparavit viam. Has itaque ob rationes articulus iste censura dignus habebatur, eoquod hæretici ex utriusque hujus Baptismi æqualitate inferrent, quod pariter, sicut Baptismus Joannis non contulit gratiam, sed merum fuit gratiæ signum, neque eandem Baptismus Christi conferat.

Circa articulum de ritibus Baptismi quidam censebant, *essentiales ab accidentalibus esse distinguendos, illosque solos absque noxa omitti non posse*. Alii contendebant, *in solo necessitatis casu ritus posse præ-*

prætermitti, extra hunc, ne eos quidem o-
mittendos, qui substantiales non sunt, eo
quod ab Ecclesia, quæ Spiritu sancto regi-
tur, instituti, necessitatem obsequii impo-
nant propter præceptum, licet non sint de
essentia Sacramenti. In eam rem cita-
bantur capita aliquot Decretorum Pon-
tificiorum & Conciliorum, in quibus fit
mentio horum rituum, qui nullius forent
usus, si cuique eos immutandi daretur facul-
tas. Porro ea articuli pars, quæ immer-
sionis necessitatem commendat, quam-
vis hæc immersio, mortis, sepulturæ,
& resurrectionis Christi figuram quan-
dam exprimat, omnium Theologorum
consensu damnabatur, idque confirma-
batur allatis multis e libris Prophetarum
testimoniis, ubi aspersionis & effusionis
aquæ mentio fit, quæ illi omnia de Ba-
ptismo ad literam accipienda dicebant.

Secul. XVI.
A.C. 1547.

Tres item articuli sequentes, scilicet
duodecimus, decimus tertius, & deci-
mus quartus de Baptismate parvulorum
eidem damnationi fuere subjecti unacum
decimo quinto, qui posterior a Synodi
Patribus eadem censura perstringebatur,
qua olim Parisiensis Universitas Erasmi
propositionem omnino eidem similem
damnabat. Ceterum cum articulus de-
cimus

Hist. Eccles. Tom. XXXIX.

Q

Sæcul. XVI.
A.C. 1547. cimus sextus ferme in quarto comprehenderetur, hinc eadem damnatione fuit notatus, eoquod ex Sacramentorum albo Pœnitentiam expungere moliretur. Denique decimus septimus adversabatur proprio Baptismi ministerio, cum in prima illius administratione Cathecumenus admoneatur, ut mandata Dei servare teneatur, si vitam æternam ingredi velit.

§. CXVIII.

Examen articulorum de Confirmationis Sacramento.

Pall. ib. l. 9.
c. 7. n. 10. **D**iscutiebantur pariter quatuor illi articuli de Sacramento Confirmationis, ac quidem primi tres communi omnium consensu damnabantur, eoquod horum primus eam esse Sacramentum negaret, alter vero nullam gratiæ promissionem continere assereret, ac tertius denique, quo dicebatur, Confirmationem *olim nil aliud fuisse quam Catechesin, in qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem reddebant,* cum risu excipiebatur, pluraque allegabantur Conciliorum ac veterum Scriptorum testimonia, in quibus frequens Chrismatis, & Unctionis mentio fiebat,

bat, quæ tamen actiones ad puerorum instructionem, vel examen fidei referri non possunt, & si forte, inquiebant Patres, ejusmodi consuetudo in Ecclesia viguit, nunquam tamen ad hujus Sacramenti *essentiam* pertinuit. Hac ratione damnabatur opinio Lutheri, qui Ecclesiam, quod manuum impositionem velut Sacramentum agnoscat, redarguit, dicitque, hoc pacto panem quoque inter Sacramenta numerandum: cum sacræ Paginæ testentur, quod *fortificet*: Nos autem, jactitat Lutherus, Sacramenta depromimus ex institutione divina, quæ Confirmationi deest, ut ea proin nil aliud sit, quam ritus Ecclesiasticus, ac cæremonia Sacramentalis haud absimilis aquæ, aliarumque rerum benedictioni. Porro Calvinus tradebat, olim priscam in Ecclesia inolevisse consuetudinem, vi cuius Episcopo sistebantur adulti eo fine, ut ea, quæ in Baptismo per alios pollicebantur, jam per se ipsos rata haberent, ac promitterent jam ætatis maturitatem affecuti: postea vero inquit Calvinus, examinabantur circa Catechismi doctrinam, ut vero hic ritus magis venerandus esset, simul manuum impositio adjiciebatur. Verum propter hæreticas hasce opiniones

Sæcul XVI.
A.C. 1547.

*ruth. lib. de
capt. Babyl.*

*Calvin. l. 4.
Inst. c. 19.
S. 4.*

Sæcul. XVI nes tertius articulus a Patribus fuit
A. C. 1547. damnatus.

Circa quartum articulum, qui de hujus Sacramenti Ministro agit, quædam exorta est contentio; affirmabant enim nonnulli, quod soli Episcopo hoc Sacramentum conferre competat, ac proin Confirmatio a Sacerdote collata haud valeat, prout censuit Adrianus VI. Inde enata est difficultas, cum S. Gregorius Papa ad Januarium perscripisset, quod ad se delatum fuerit, quosdam offensionem esse passos, eo quod simplicibus Sacerdotibus vetuisset, ne baptizatis hoc sacramentum ministrarent, id vero se fecisse aiebat pro veteris Ecclesiæ more: nihilominus si nonnulli id ægre ferrent, Sacerdotibus tribueret facultatem Baptizatos in fronte deliniendi in iis Regionibus, ubi Episcopi absunt. Verum Franciscani D. Bonaventuræ solum Episcopum hujus Sacramenti Ministrum adstruentis opinioni insistentes affirmabant, quod Papa non nisi pro unica vice, ac invitus quidem singularem hanc facultatem dedisset, unice ex eo, ut populi offensionem declinaret, seu forte illud ex eo factum dicebant, quod hæc unctio a Pontifice permessa, non fuerit Confirmationis Sacramentum.

Præterea

Præterea circa ipsum testimonium ^{Sæcul. XVI.}
 ex S. Gregorio I. allegatum, haud fa- ^{A.C. 1547.}
 tis certo constat, quod sanctus iste
 Pontifex in assignato loco de Confir-
 mationis Unctione loqui intenderit,
 sed potius forte de quodam ritu mere
 Ecclesiastico, in quo Sardiæ Presby-
 teri eandem in fronte faciebant Un-
 ctionem, quam ceteri Romanæ Eccle-
 siæ Sacerdotes in pectore facere con-
 sueverant. Hæc quoque conjectura
 ex eo fulcitur, quod D. Gregorius cun-
 ctas hasce unctiones antehac ab iisdem
 Sacerdotibus factas, nequaquam irri-
 tas declaraverit, minus vero illos, qui
 hanc unctionem receperant, de susci-
 pienda Confirmatione admonuerit. In-
 super ad comprobendam prohibitionis
 factæ justitiam duntaxat Ecclesiæ Ro-
 manæ usum allegavit, nec ullam
 de Christi Domini institutione, nec
 de omnium Ecclesiarum consuetudine
 mentionem fecit.

Ceterum prolixior hæc disceptatio
 tantum effecit, ut Canoni hæc verba *Or-*
dinarius hujus Sacramenti Minister infe-
 rerentur; non deerant enim, qui hujus
 articuli nullam omnino mentionem fie-
 ri postulabant, ob auctoritatem Con-
 cillii Florentini definientis, quod Ro-

Sæcul. XVI mani Pontifices id meris Sacerdoti-
A. C. 1547. bus ob graves causas indulgere va-
 leant, dummodo Chrisma ab Episco-
 po sacratum adhibeant (*).

(*) Hanc in rem satis utiliter consuli po-
 test Pallavicinus l. c. l. 7. c. 7. num. II. ubi
 Pauli Sarpi ineptias confutat.



HISTO.